

Sincera & justa Responsio
in qua

DE PÆDANTISMO MEDICO

candide agitur
adversus immatura, cruda & absurda FULMINIS
EX PELVI sive,
Auri Fulminantis Defensionis
Magni quondam Practici Numburgensium &c.
D. Pancratii Wolffii &c. &c.
sub germanæ Fidei integritate & testimonio
quam impugnavit sub Tit. *brevissimæ castigationis*
Der Albertäten des Teutschen D. Michel Alberts
partim pro absurdis & alienis tam opinionibus quam perversis Therapevticis tentaminibus, revellendis, abigendis, meliorandis; partim etiam pro continuanda & conservanda Scriptorum suorum sinceritate, & accusando adversarii rabido præcipitantiæ & invidiæ orgasmo in gerendis, ineundis & defendendis Controversiis
a
D. Michaele Alberti

Anno 1708.



Hippocrates de Arte



Ui ea quæ ab aliis ſunt inventa inhoneſtorum verborum artificio contaminare contendit, neque quicquam corrigit, ſed à peritis inventa apud imperitos traducit, is ſane prudentiæ exiſtimationem tueri velle non videtur, ſed potius naturam ſuam aut ignorantiam malitioſè prodere. Solis n. artium ignaris hoc opus competit, qui ambitioſius quidem contendunt, neq; tamen improbitate ſua ullo modo præſtare poſſunt, ut aliorum opera vel recta calumnientur, vel non recta reprehendant.

Galenus Meth. Medendi. Cap. 5.

An igitur homo lepidiſſime, ne hoc quidem ipſum demonſtrabis qui nam videlicet medicinæ artis ſint limites, quæq; noviſſ. expediat ei, qui ratione remediorum inventionem molietur, ſed terrifico vultu tuo nos reddere attonitos putas?

Hieronym. in Prolegom. Eſaiæ.

Legant prius, & poſtea deſpiciant, ne videantur non ex judicio, ſed ex odii præſumtione ignorata damnare.

Baglivins Prax. Med. L. II. c. 4. § 2.

Unde Medicinis illorum apprime mihi videtur quadrare priſca fabula de Scylla, quæ ſpecioſæ virginis vultum pectusque referebat, circa uterum tamen monſtra latrantia ſuccingebantur. Ita Medicinæ hodiernæ quamplures, aſpectu & apparatu exteriori non ſolum ſpecioſæ & plauſibiles videntur, ſed magna de ſe promittunt, cum vero ad uterum illarum ſive ad partes generationis ventum eſt, nec Praxeos fructus producunt, nec novam lucem inveniendorum fructuum aperiunt, aut indicant, ſed latrantes quæſtiones, horrida opinionum Monſtra, rerumque antea inventarum repetitionem ad nauſeam usque conferciunt.

Caput I. De argumento & occaſione Scripti præſentis ediſſerit.



Uæ tempora, qui mores, antiqua eſt & juſta ἐκφώνησις, quam illi optimo jure effundunt, quibus procax hominum malitia, infrunita audacia, & temeraria fallacia facilius & liquidius innoteſcit, & qui non tantum de communioribus rerum humanarum fatis & viciſſitudinibus dolent, ſed de meliori ſperando meliora tempora, melioresque mores, fovent, anhelant & exclamant; & qvis quæſo hominum hunc offenſionis lapidem vel unquam offendere ſuſtinuit, niſi vel Pattœcione calumnioſior omnem bonum, probum & laudabilem conatum maledicta lingua conſpurcare, improbis oculis prætervidere, traducere & impio conſilio atque auxilio dehoneſtare ſtudeat, aveat, geſtiat. Sed quæ quærelæ, cum *Lupus pilum mutet non mentem*, & de illis tantum meliora ſint ſperanda, quibus animus integer, quibus Amicus Plato, Amicus Socrates, ſed magis Amica veritas, quibus dexteritas, honeſtas, pietas, conſtantia & virtus curæ cordique eſt, ad præoccupandos furibundos illos raptus & tentamina, imò malas intentiones & ludicras inventiones quæ ſingula, mala tempora, malos mores formant, firmant & confirmant. Ne in alienam Meſſem diffundar, unicum illud tantum erit conquerendum, quod Medicina in hodiernis temporibus curioſis magis & inutilibus quæſtiunculis ſterilibus inventionibus, immaginatiunculis & crepundiis confundatur pervertatur & dehoneſtetur; Ut merito de tempore deplorando & de perverſis moribus in excogitandis novitatibus, aut theoriis novis conqueri debeamus. Recte antiquus ille Romanus Philoſophus dicit quod *non doctus*, *ſed curioſus ille ſit*, *qui plus docet quam ſcit*, & quos *Hippocrates* ſeverè invehit, *audaces temerarios* appellat, qui *tali ignorantia turgidi*, *glorientur.* Optandum

certè eſſet, ut non tantum ad Philoſophiam tanquam veræ, non fictitiæ, neq; ſpuriæ & adſcititiæ ſapientiæ cultum multi provocarent, omnibusque ſuis declamationibus illud ſtupendum Philoſophiæ ſecretum invocarent, cum vel multi deprehendantur, quibus illa ſapientia magis in ore, id eſt, in frivola & temeraria loquacitate, quam in animo exiſtit. Profecto non ſufficit, quod candidè conteſtor, tantum ad authoritates provocare; fragmenta, ſub miſerando ſæpe judicio, citare, hunc & illum tanquam infallibilem teſtem producere, & uno nomine aliorum factis & actis ſuperbire, cum nihil *graculo cum fidibus*, & in aliorum theorias deſcendere ſine juſta dokimaſia, cum præoccupata malitia & temeraria pertinacia turpis Philoſophi ſpecimen & exemplar ſit.

Atticus in portum antiqua eſt parœmia, & tales ſimul Philoſophos attinet, qui ſpecioſis alibi theoriis, ſed ſub craſſa ruditate conſpicuis, ſalutaria media & ſubſidia invertunt, ſuis nominibus & ſpeculationibus nudè inhærendo ſemper aliquid novi promunt & venditant; ſed quorſum omnes illæ novitates, quam ad illam ignorantiam, ubi plus docetur, quam cognoſcitur, ut frivolè hinc inde quicquam corradendo & furtim comportando, novitas, imo novum monſtrum prognoſcatur & fungus pro cerebro apponatur. Quibus vervecinum ingenium, & ſub quacunque declamata ſenectute κρόνȣ πυγή, repueraſcens judicium & contumax imo impia malitia, illi qvidem non aliter poſſunt, quin æq; alia tempora alios mores incuſent; ſed quis horum querimoniam pro integri & ſibi conſtantis hominis ſincero monumento apprehendet? nam hi ipſi mores ſunt documentum deplorandorum temporum, & talia honeſtatis & dexteritatis excrementa, ſunt exemplar peſſimorum temporum, peſſimorum morum. Amica Veritas! dulce eſt ſuſpirium: amicus candor & ſinceritas! egregium ornamentum: amica honeſtas! magnum ſolatium. Amica integritas, bona conſcientia, & pietas vera! optimum munus. Deteſtanda malitia, execranda mendacia

dacia, expavescenda blasphemia, fugienda calumnia, abhorrescenda impudentia, aversanda pestis! O quæ tempora, qui mores. Talia sunt fata, quæ non tantum communem vitam premunt, sed quæ (quod dolendum) Christianos irrepserunt. Medicus sum, medica loquor, & illa præterquam constanter defendo; præsertim cum de novitatibus & curiositatibus medicis sub *Pædantismi* schemate aliqua explicare constituerim, hæc ad reliqua sub quavis modesta continentia applicare & veritatem insequi labor meus & opus erit. Et cum scriptis & dictis meis non nisi summam felicitatem adsequi gestiam, i. e. bonam conscientiam & divinum auxilium, ita absit à me omnis malitia, & malitiosa veritatis & virtutis occultatio; & *quid votis opus est*, ait seneca, *fac te ipsum felicem; facies autem, si intellexeris bona esse quibus admixta est virtus; turpia, quibus malitia conjuncta est.* Edidit ante aliquod tempus D. *Pancratius Wolffius* crudum, impium impudens, & suo nomine dignum, rabidum Scriptum, quod, uti ipsi authori invidiosus labor fuit, ita per directum malitiosum & temerarium animum divulgatum prostat. *Senex* est quorsum provocat, & ô turpis senecturis jactatio; adolescens fuit, & si non alius quam Senex, profecto execrandus, & malitiosi animi speculum. Hic *Pancratius Lupus*, quem se *nomine & omine talem in Præfatione defensionis sui auri fulminantis* confitetur, præter *Virum communi & publica fama venerandum Celeb: D. D. Stahlium*, etiam me scripto injuriosissimo, calumniis, ignominiis, injuriis, mendaciis, & puerilibus altercationibus oppresso & onerato, contra omnem bonam conscientiam & Christianam charitatem aggressus est, ita quidem, ut *rabido* animo, incontinenti paroxysmo, impio & inexcusabili orgasmo, turmas injuriarum, puerilium criminationum, plebejarum contumeliarum, tanquam aculeos Satanæ, qui talibus *Lupis* rapacibus & rabidis author, director, princeps & Patronus est, effuderit & evacuaverit. Detestanda blasphemia, quem *gratia divina* in tali malitia secundare debet, quam etiam provocat; qui clementiam

tiam divinam pro tali auxilio celebrare vult: execranda religio; pesſimi mores, pesſimus animus, Abſit à me ille malitioſus animus, ne factis ſuis, hoc ſcripto præmia conſtituam: Junior ſum & ſub gratia divina trigeſimo proximior quam vigeſimo; quilibet interim honeſtus & prudens Vir, quem nulla malitia, neqve odium obſidet, mihi æquitati & laudi ducet, qvod ſi rebus non verbis, veritatibus, non temerariis figmentis & mendaciis, modeſtia qvavis continentia, non rapacitate, & impudentia, rebus uſum verum & ſincerum largientibus, non perſonalibus, negotium & ſcopum minime ferientibus ſenem repueraſcentem, invidioſum & torvum confutaverim. Dubius interim hæſi an ſcripto illi per Cummune ſuffragium ruſtico & impudenti reſponſionem meam ſubjungere dignum reputare debeam, cum ne talem hominem attendere & advertere neceſſitas aut ulla alia cauſa urgeat, imo cum publicus conſenſus hujus raptus præcipitantiam agnoverit, diſtuli in commodum tempus & occaſionem hoc πάρεργον, ne magis neceſſaria & utiliora negligam & huic feré minus neceſſaria labori nobile tempus applicem. Occupatus fui hactenus partim Collegiis meis, partim aliis laboribus dignioribꝰ, quam illis qui Senem non Senem ſed ſeneſcentem invidiam convellere debent; unde indignum reputavi illud phantaſma latiorib. refutare, cum ſemp. utiliſſima ſeligere & perficere ſana ratio ſuadeat, Unicum illud fuit, quodme impulit hanc reſponſionem exarare, ut temerariam illam audacis hominis injuriam publico Scripto exhibeam, qua me contra omnem prudentiam honeſtatem & veritatem, (ut neque æquitatam neque dexteritatem denotem, quis enim æquitatem inquiret, ubi veritas deeſt, & calumniandi libido floret) reum tradit quaſi ego, ut verba proſtant more famoſorum libeliorum *huncperverſum ſenem homicidii reum depixerim;* quo ipſo inſimul cuilibet honeſto viro rerum harum, imo latinæ tantum lingvæ, nedũ Logices, perito, ſincere demonſtrabo, quam male ille adverſariꝰ per monſtroſã. eruditionem & iniquam imo turpem & magnis nominib. proſtitu-
tam

tamLogicā colligat,quasi.ille *sc.D.Pancrat ius.Wolffius.&c á me,homicidii reus, accusatus fuerat.* Reliqua cum á Philosophiæ & sapientiæ tyrone, præcipitantiæ, crudæ impudentiæ, imo senilis invidiæ accusentur, non merentur longam decisionem & declinationem, cum opus ipsum artificem commendet & extollat. Debuisset vero si potuisset, ille Vir exactiora conscribere, ne vel animum, vel nomen suum omnibus insipidum, detestandum, ridiculum & commiseratione justa dignum supposuerit; cum illi maxima ignominia adveniat, qui ignominias disseminat. Appellat quidem Scripta sua *innocentissima,* sed proh dolor confusæ & iniquæ innocentiæ, quæ omnibus sarcasmis rusticis & palpabilibus, sugillationibbus incultis, rixis & litigiis audacioribus & impudentioribus plena cuilibet æquo judici & honesto Viro publica prostant: Odolendæ innocentiæ. Excusat se, quod cum Epistola candidato cuidam gratificatus. fuerat (qua paulo rudius malitiam suam prodidit, & forte error in typographia obrepsit, ponendo posthac candidato Epistolam de Medicarum opinionum in somniis *obtrusi)* imo quod adhuc plane miserandæ simplicitatis & simul protervæ excusationis testimonium est, quod Epistola illa *speculi cujusdam loco* inservire debuisset, *neminem tamen tangere* potuisset. O pessimæ & crudæ simulationes, quas tamen omnes deprehendunt, & hanc malitiosam excusationem conspicuè agnoscunt. Sed apage hanc publicam ignominiam & turpitudinem. Ne vero cum frigida illa & stupida auri fulminantis defensione, honesta & utilia ad Medicam veritatem pertinentia dehonestem, intentio mea fuit hoc scripto tam ad theoriam quam therapevsim justam aliqua ex veritatis & sinceritatis promptuario explicare, ut usus publicus sit, neve orbis eruditus controversias tantum aspicere, & iisdem stomachari debeat; haud enim temporis occasio publicè quædam communicare per aliquod temporis spatium concesit, interim non otiosus fui aliisque commodis æque publicis industriam & operam meam addidi; promisi quidem hinc inde partim aliqua uberiore explicatione continuare & connectere; partim alia utilia & tam in Physicam veram non spuriam, & speculativam modo, quam Medicinam, usum suum deponentia

ex

explicare & deducere: quod vero conamen in alia tempora si Deus vires & vitam clementer largitur, conjicere teneor. Interim crudelis & rapax noster aggressor rabido suo raptu tam eminenter & notorie academiæ hujus cives tantopere deterruit, ut illi, quoties cunque etiam chartulas suas invitatorias agglutinet & omnia pro viribus suis promittat, fugiant rabidas ejus theorias, & miserandam scientiam medicam; quod si vero vel unus aut alter hunc nostrum adversarium & communiter non usus, sed temporis fallendi gratia, adeat & audiat, sane commune inclaruit apophtegma. *Siculæ gerræ, aniles annales, Lupus in Fabula*: hinc ipsi tempus vacat innocentes tales defensiones scriebere, tempus calumniis terere, & quas non Fabulas, nænias, & insomnia consarcinare. Apage talia, turpia sunt & honestati contraria; *Deus ipsi hæc otia non dedit*, modo *Hippocratem aliosque pragmaticos legere*, intelligere (non vero perverso sensu & ordine in suam malitiam trahere) & sic *discens* emori discat, aut didicerit: Interim D. L. pro justitia, æquitate & honestate ipsam rem dijudicabit: personalia, rem minus illustrantia, evitabo, sugillationes fugio, rem exhibebo, & pro modestia & sinceritate candide demonstrabo. Scio interim per Dei benignitatem, quos modestia, honoris & observantiæ cultu prosequi debeam; Professorem non aggredior, licet parum sua Professione dignum cum hoc audaci conamine se præstiterit: Medicum imo rectius impudicum declamatorem, veritatis hostem, suspicacem, contumacem & invidia flagrantem hominem offendo neque injuriam reponere unquam suscepi; adolescentulum me tractat, cujus sordidæ, invidiæ, & audaci senectuti indulgere modestia suadet; Simiolum me increpat, sed malo honesti & integri hominis & Viri honestatem & veritatem quam Diaboli malitiam & mendacia imitari, imo illud gloriæ mihi duco, me tanti viri simiolum appellari. Judicium nunquam expavesco: æquitatem, honestatem & veritatem provoco, invoco, advoco. Tuum erit, D. L. ut Deum timeas, qui æquitatis, justitiæ & veritatis, fons, origo & author est, qui invidiam

diam, odium & publicum & privatum, malitiam, calumniandi, libidinem, mendacia, aversatur & condemnat, sic dijudica, æquo, sincero, integro, neque favente, & bladiente, neque invidente & adverso animo quis nostrum ætati suæ in honestate, æquitate & modestia satisfaciat. Meum erit, æquum Judicium venerari, æquitatem prosequi & veritatem nunquam occultare. Deus enim veritatem amat, & qui Deum amat, ambulat in veritate. Absint illæ præoccupationes, quas adversarius frigide & stupidè inclamat, increpat, & odtrudit: absint authoritates, & hominum æstimationes; veritas, Dei proles, non hominum est; interim & illos amo, qui veritatem profitentur, & illos fugio, qui plus docent, quam sciunt, & qui opinionbius tantum delectantur & luxuriant. Veritatem nunquam deseram, modo mihi divina benedictio, uti hactenus, ita imposterum clementer assistat; sic docebo tranquillè, explicabo sincerè, communicabo liberè, invigilabo dextre, & inquiram indefesse veritatem. Deus vero veritatis sit benedictus in sempiternum.

CAPUT II. Sistit Historiam Controversiæ, & adversarii orgasmum præcipitantiæ & malitiæ subjungit.

QUam egregii & digni conaminis decus & ornamentum sit in omnibus utilitatem veram & in illa dexteritatem intendere, quilibet vel lubens largietur, cui divini Numinis gloria & commodum publicum summa sollicitudo & cura existit: quam confusi vero animi & perversæ intentionis documentum sit, aliqua agere & reagere quæ vel proprium honorem vel Jactationem vel quamcunque demum restrictam commoditatem conferunt, innumera argumenta declarabunt. Hæc sunt novaturientis ingenii indicia, quæ vel ex scribendi aliqua lubidine mille

 autho-

authorum paſſus & loca conſcribunt, & lapides quidem aliquos movere annituntur, nullibi interim promiſſum *pontem* eruditiadonis, vel ſecundum alios *Logicæ* & ſpecialius; in *medicina ruptum reparant* vel ſuffulciant econtra rectius cum omnibus ſuis tentaminibus & uſibus ruinam totius ſcientiæ tanto efficacius, certius, conſtantius & citius promovent & accelerant, vel pertinaciam ſuam, quam pro conſtantia venditant, ſuſtentando, alios deſpicere & ſuis ſordibus ſuperbire conantur, vel qui denique per omnem vim, violentiam, audaciam & impudentiam eruditionis larvam & rubiginoſam magis ſpeciem induunt, interim quotiescunque etiam & quacunque occaſione hanc temeritatem obſignant, aliorum conamina theonino dente arrodant, non niſi ridicula & dolendæ eruditionis & dignitatis ſuæ ſpecimina exhibent & juſtificare fruſtra nituntur. Vera, & omnibus ſincera mente commendanda, ſunt *Senecæ* verba: *Videamus*, inquit, *ne iſta per quæ admirationem parare volumus ridicula & odioſa ſint:* Hæc cum noſtra tempora æque ac alia attingant, ſummo ſtudio noſtris in ſimul temporibus evitanda ſunt, ne ridicula & odioſa proferantur, & declamentur: illa quidem, quæ cum omni ſuo apparatu aliis & præcipuè honeſtis & prudentibus riſum movent; hæc vero quæ ob temeritatem, incontinentiam, præcipitantiam & impudentiam ſuam iisdem ſordent & ſtomachantur. Utrumque horum & ridiculum & odioſum, præſtitit, ſub ſchemate magnæ authoritatis, & magni nominis, adverſarius noſter, qui ſe publico ſcripto à me graviter offenſum impunè & liberè confitetur, vindictam, ut ille quidem opinatur, de me ſumendo, neſcio qnam adhuc innocentiam & benevolentiam ſimulat, interim ſub ſpuria tali innocentià, quibusvis contumeliis, injuriis ruſticis, & plebeis aggreſſionibus, puerilibus ſane offenſionibus, aliisque Profeſſione maxime indignis tentaminibus, me onerat & afficit, cujus rei ut omni honeſtas & æquitatis amico & Patrono Hiſtoria liqueat, veram & ſinceram ſpeciem facti addere & recenſere juſtum reputavi; cum aliqua, imo multa, in ad verſarii rabido

ſcri-

ſcripto contineantur, quæ,ſicuti ex notoria incontinentia&præcipitantia emanârunt, ita veritatem,honeſtatem&æquitatem adulterant, occultant & depravant. Suſcepit ante annum & quod excurrit, Medicinæ Studioſus, Collegiorum meorum auditor, ex ampliſſimæ Medicæ facultatis benigniſſima conceſſione honores publicos; cui ad petitum, & illud quidem iteratum, Epiſtolium gratulatorium typis impreſſum exhibui, in quo ſicuti ad utilitatem præcipue reſpexi, ita aliqua ad ſcientiam & artem Medicam neceſſaria, deduxi & propoſui, tam ſtricte verò ipſum negotium minime pertractavi, quominus vel commoditas temporis, vel ipſum ſpatium epiſtolis conſcribendis quaſi genuinum, conceſſit; Securus interim de mea Epiſtola, cum ne vel quem piam artis Medicæ dignum ecultorem me offendiſſe, vel directo & per intentionem offendere voluiſſe, mihi conſcius fueram, multo minus accidens noſtrum adverſarium attigiſſe ne per ſomnium quidem augurari poteram, accidit Epiſtolam aliam gratulatoriam de *Inſomniis Medicarum Opinionum* conſarcinatam, authore *D. Pancratio Wolffio* non mihi, ſed domeſticis meis translatam fuiſſe, ſub illa ex quiſitiore ſollicitudine, ut mihi quamprimum tradatur. Miſſam obtinui, & ut extra ordinem miſſam, tanquam peculiare quicquam perlegi, non novi authorem, niſi ex nominis confeſſione: video Profeſſorem P. mihi nunquam, ne quoad nomen, ne quoad reliquam exiſtimationem cognitum, admirabar interim nova, novam Fpiſtolam, novum Profeſſorem: Conſpexi vero confeſtim vel ex primis tantum lineolis, epiſtolam hanc eſſe invidioſam, imo noſtræ theoriæ directe oppoſitam: vidi præter omnem ſpem & expectationem plurima verborum meorum ex mea Epiſtola vel propriis vel parallelis locis per intentionem ſub manifeſtis indiciis allegata & arroſa fuiſſe: inveniebam plurimas illuſiones, ſarcaſmos, ſuggillationes, & ſi non reales, tamen frigidas refutationes: Dubius interim hæſitabam, quo fato mihi tale accidens, ab homine

incognito plane, & de quo neque perfelicem ut ajunt praxin, neque per eruditionem singularem, ulla mihi unquam advenit æstimatio, notitia & colloquium: admirabar invidiosum nomen, conspiciebam quod hæc epistola *raptim* data fuerat: confirmabar in illa ignorantia causæ & offensionis, cum talis mihi conscius nunquam fueram. Connectebam præterea nomen authoris, cum confessione, quod *raptim* scripta fuerit hæc epistola, formabam inde hoc solatium hunc talem Wolffii raptum fuisse, cum Lupi quandoquè ad furorem deveniant, etiam sine causa externa. Deprehendebam illud Virgilianum: *Non curat numerum Lupus*: sed adhuc alios mecum, in illa rapaci Epistola offensos esse: neque unquam causam & occasionem hujus aggressionis experiri contigit, nisi ex defensione auri fulminantis, de qua postea. Hæc talia cum me sollicitum detinebant, nescius unde *Lupus ex machina*: allicebant me hujus Viri notitiam conquirere, imo conquisivi occasionem, cognitionem quoad ejusdem personam, comparare: cognito Viro (cum ante hac neque *Lupum* neque *ursam* vel *majorem* vel *minorem* somniaveram) suscepi me peculiari schediasmate de *Energia Naturæ* publice excusare, id quod quantum par fuit, quavis modestia peregi. Interim adversarii Epistolam non innocentem sed maxime injuriosam & iniquam deprehendi, quod repetito ex verbis & personalibus in eadem oblatis vel levissima & brevissima prælectione conspici poterit: meam itaque omni modo illam epistolam feci, cum mea in eadem verba & theoremata arrosa prostent: responsionem meam cuilibet honesto Viro exposui, quam adhuc defendere & exponere nullus desisto: Deprehendebam nihilominus perpetuo illam inscitiam hujus controversiæ, & causæ hujus offensionis: Inquirebam hinc inde in hanc occasionem & causam, sed perpetuo in eadem delusione substiti: usque denique hic adversarius, cum crudo & incocto Scripto defensionis *auri fulminantis* prodiit, in quo sane cum ingenti admiratio-

ne

ne partim in præfatione, partim in peculiari, uti ille apellat, *castigatione*, sed rectius sui prostitutione, me famosi libelli reum accusaverat; quasi in mea Epistola se à me *homicidii reum* incusatum & offensum deprehendisset. Exhorrui profecto, & quidem non immerito, ob hujus ejusdem famosi libelli & scripti audaciam & impudentiam: admirabar miserandam & ridiculam hujus Viri prudentiam & senectutem, ex qua & in qua neque distinguere, neque componere compos, surrexit, sed turpissimam ignorantiam Elenchi commisisse, obsignavit; ô mali artificis pro rupto ponte logico in Medicina reparando. Video hunc virum anxiè & per imperium, ad senectutem, praxin, & annales provocantem; unde incidit memoriæ, illud quod frequentius ab aliis eruditis Viris alibi locorum professum & conquestum audivi: quisnam ille annalium sit opifex rectius, q. artifex, quorum in observ. Hallens. frequens facta fuerit mentio infrequens vero imo nullus conspectus, ut ad annales ejusmodi provocare sit illud platonicum σκιαμαχεῖν, vel ἀπὸ λύκυ θήρας. Paulo magis vero ad tranquillitatem me composui, posteaquam causa ejusdem aggressionis mihi innotuit, quam vero contra omnem æquitatem apprehensam censeo: paulo consultius & senectuti suæ convenientius egisset adversarius, quando graviter offensum se à me suspicatus fuisset, & ita quidem, ut ille somniat, quasi eundem ego publica injuria & summa iniquitate lacessiverim, si mecum vel privatim vel etiam in publico aliquo loco convenisset, verum sensum, explicationem & interpretationem verborum meorum & mentis meæ excepisset, & si reum me offendisset, omnem reliquam satisfactionem postulasset, cum e contra rabidus ille raptus adversarii ita temere, ridicule & per invidiam controversias movere ex turpissima & maxime puerili applicatione, facta ignominiam & ludibrium à quovis honestatis & vel tantillæ sapientiæ Patrono sibi conciliat: Quonam vel ullo jure, vel ulla ratione, vel quanam connexione & fulcimento ex ponte logico desumendo, sibi aliquam offensionem

ex

ex mea Epiſtola arrogare poterit invidioſus adverſarius: quam perperam ille rationis exercitium gerit, & qui me Logices imperitum declamat & deblaterat, quam turpiter ſecum ſua mala Logica proſtituit, quando ex Epiſtola mea hunc Syllogiſmum Format, *Qui cunque de homicidii reis Medicis differit, ille de Doctore Pancratio Wolffio. P. P. extraordinario & Practico Hallenſ.* olim Numburgenſe *Loquitur*, *atqui Ego, E.* riſum teneatis amici, de Magno Logico, qui rectius pontem Romanum reparat, & pontem veræ ſapientiæ & rationis ſanæ devaſtat & deſtruit: Et quis vel per ullam rationem ex antecedentibus & conſequentibus, ex toto contextu & reliqua connexione & deductione poterit hunc Syllogiſmum formare, qualem rabidus noſter per irrationalem Logicam conſtruxit, per quam multa luſtra ſtupendus ille Logicus Logicam forte inclamavit, ſed proh dolor ſub publico hoc documento & proſtitutione notoria peſſime exercuit; æqui miſerandus Senex me transfugã ex non completo luſtro accuſavit; quis te horrendum Logicum Judicem conſtituit, pro luſtris dimenſurandis; ſcientiæ non annis, ſed ratione comparantur; & Tue asdem annis & ætatibus adſtringere conaris. unde canities, & cana barba, non vero ratio & intellectus Logicum Te conſtituerunt; proh inſipidæ objectionis! forte per plures quam unius luſtri annos rationis ſtudio incubui quod ſine omni dubio Experientiſſimum Dominum Doctorem latebit. *Barba non facit Philoſophum*, neque cani eruditionem & ſapientiam pollicentur, ſed exercitata ratio, bonus animus, ſtudium veritatis, & amor honeſtatis. *Plautus* inquit: *Non ætate verum ingenio adipiſcitur ſapientia* & *Seneca* aſſerit: *Turpe eſt Seni, aut Senectutem proſpicienti è Commentario ſapere.* i. e. qui in ſcholaſtica ferula ſapientiã inquirit, & luſtris rationis ſtudium vincit. Qui annis ſapientiam dimetitur Wolffiana methodo philoſophari diſcit, qui in canis & luſtris ſcientias quærit; proh miſeræ & dolendæ Logicæ &, Philoſophiæ! fortaſſis animalia quæ-

dam æquali ἀκριβείᾳ philoſophari poterunt, ſinon de ponte Logico & ejusdem reparatione, attamen de oneribus geſtandis. Recte Seneca eloquitur: *ſatis ipſum nomen Philoſophiæ & ſi modeſte tractetur, invidioſum eſt.* Quam turpis vero res ſit ſub tanta arrogantia, & tam perverſè philoſophari, neminem veræ Philoſophiæ peritum unquam latebit. Hi ſunt illi Pſeudo-Philoſophi, quorum *Plautus* mentionem injicit, qui ſpecie magis & verbis, quam realibus documentis, tales audiunt: pœnitebit, & pudebit vel horulam in Wolffiana ferula ſcholaſtica conſumſiſſe, nedum luſtrum; unde rectius gaudeo, & gaudent mecum alii ex horrenda ejusdem Philoſophia effugiſſe, neque luſtri ſpatium exspectaſſe & perduraſſe: Ridicula profecto & ſeneſcentis infantiæ exquiſitiſſima ſigna ſunt, ejusdem tentamina, qui minime eruditis & Philoſophicis argumentis, ſed plebejis & ruſticis altercationibus, mea aggreditur, unde genium ſuum & indolem cordate teſtificando, genuino ruſtico idiomate meum nomen illudit: & quis non commiſeratione dignam reputabit hanc ſimplicitatem & ruſticitatem, unde ridicula talia non merentur aliquam attentionem, nedum refutationem: Malitioſa interim hæc eſt ſimplicitas, cum animus in hoc viro ad malitiam in me exercendam abunde publica ſua aggreſſione cognitus ſit: hinc conſenſus publicus, & omnes honeſtatis cupidi, talem raptum ludibrio habent: Sed ne maturius de ſcopo meo diſcedam, explanabo ſeorſim epiſtolæ meæ ſinceritatem & innocentiam; ut Pſeudo Philoſophus & horrendus Logicus noſter, eo magis malam ſuam Logicam obſignet & exhibeat. Illud antea præmonendum duco quod nulla unquam hujus aeverſarii notitia ante rude illud Epiſtolicum & crudum defenſionis ſcriptum mihi fuerit, quod ipſum ſane & ſincere per bonam conſcientiam eloqui poſſum; vidi quidem aliquando *Diſſertationem de Orgaſmo* &c. publicæ tabulæ affixam, quam eo tempore publico diſputatorio actu ventilare ſuſcepit, ſed vel prætimuit vel non potuit, vel

vel ob aliam caussam omisit, unde neque unquam illud Scriptum mihi comparuit, donec post Epistolam quam adversarius contra me divulgavit, hujus viri uti supra recensui, notitiam, tam quoad personam, quam quoad facta publica comparaveram: postea inquã & sane minime maturius, dissertationes & rudem hujus adversarii Orgasmum coemi, prospiciendo an unquam utiliora erudito orbi communicaverit, aut tantum per Epistolicum ejusmodi raptum, raptim & per paroxysmum furorem egerit: sed vidi prohdolor inertia, frigida, publicatione maxime indigna, chartam utiliorem quam rem; imo deprehendi quod ille *orgasmus* jam jam controversa, mihi, certe minime cognita, includat. Et quod cum sancta sinceritate eloqui teneor, nulla mihi unquam notita Praxeos midicæ, nedum Casus controversi, constitit de adversario, donec post meæ Epistolæ publicationem & obloquentis Epistolæ divulgathionem, ex *Orgasmo* publicato, casus mihi minimè cogniti deductionem conspexeram. Et quis rebus ita stantibus tibus vel ulla sana mente præditus colligere poterit, me adversarium homicidii reum egisse & declarasse, cujus neque ulla suppetivit coguitio nedum hujus casus practici vel aliqua vel exquisita scientia, ad quem vero casum meam ut ille somniat, offensionem, restringit. Unde neque constitit ex qua ratione, quo argumento, quo jure, qua occasione ille mordax vir tam audacter me aggressus sit, donec ex *auri fulminantis* defensione aggressionis suæ sinistram causam invenerim, Equidem, cum me controvetsiæ ejusdem de casu practico participem reddere nunquam fusceperim, multa interim in adversarii defensione inertia & fallacia deprehendi, quibus ipsis adversarius se honestatis & veritatis expertem & mancum simpliciter depingit. Et cum Celeberrimus D. D. Stahlius famæ, dignitati & nomini suo longe ignobile æstimabit, talem, qui sub Collegæ schemate æruginosam authoritatis larvam assumit, & tam putidam & justicam defensionem refutare, sed omnes

omnes una judiciosi viri tam ludicrum & futile scriptum adversario nostro divulgatum à tergo aspicient, dum neque persona, neque authoritas, neque honestas, neque totum reliqvum adversarii conamen, responsionem urgebunt, ac modo laudatum virum longe solidiora & utiliora expedienda incumbent, quam ut hisce qvisquiliis refutandis indulgeat; ita, inqvam ex prælaudati viri ore ipse ego hujus adversarii dubiam existimationem & fallacem animum & authoritatem omni honesto viro expono. Primo enim adversarius illum mendacem & calumniatorem increpat, qui historiam aliam Casus practice proponit, qvalem ille in ultimo Defensionis Scripto obtulit: non alius vero hujus dubiæ fidei, mendacis & calumniantis hominis exemplar esse potest, quam ipse ille noster adversarius, qui in Scripto suo de *Orgasmo* &c: longe aliam historiam morbi (præcipuè in circumstantia quasi cardinali & principalissima, exhibitionem remedii purgantis respiciente, ratione scilicet incrementi morbi) primo exponit, quam alienam ille in defensione Auri fulminantis publicè confitetur. Studet sese cum purgante suo oblato purgare, quod omni nisu & conamine in tertium diem trahere contendit, sub ambigua illa dierum computacione, cum tamen secundum historiam ex defensione auri fulminantis ad quartum diem hujus purgantis exhibitio recensenda esset, quippe quo die in ejusmodi morbis minime talia remedia offerenda essent: Certe in historia auri fulmin: occurrit jam per initia malitia & fallacia: inchoat adversarius: Es hat. in verwichenen Jahre 1706 November, eine vornehme Jungfer &c: Cur annus & non dies nominatur, qualis scilicet fuerit novembris dies, qui XVII. erat, dies Mercuri; unde prima illa occurrit malitia & fallacia. dum diem Jovis, veneris & Saturni nominat, Mercurii vero diem frigide transcendit & occultare satagit: Refert adversarius in orgasmo suo, quod die secundo B. virgini aurum fulminans præscripserit, & in defensione auri fulmin: profitetur sub illa malitiosa occultatione quod eadem A. 1706. mense Novembris ægram se habere ceperit, quam ad-

versa-

versarius dies Veneris visitavit, & cui die Saturni hoc purgans præbuit, ubi á nominato Jovis die, Saturni dies tertius esse debuerat; sed inchoavit beate defuncta Mercurii die ægrotare, & à Mercurio computando saturni dies quart9, est neque secund9, secundum *orgasmum*, neque tertius secundum *defensionem*. Unde cuilibet honesto prudenti viro manifeste innotescit, quod adversarius primus existat, & ipse ille sibi solus in tali malitia & fallacia sufficiat, qni hanc historiam adulteravit, confudit & fallaciis passim oneravit: unde in eundem merito cadit illud judicium ab adversario publicè factum, qui non tantum ipsam historiam in se invertit sed ita malitiosam & præjudiciosam publicè obtulit. Secundo malitiosum illud est, quod adversarius in Historia sua pro ponit, & quod crassum mendacium & inexcusabilem calumniam non nisi *Wolffio* hoc dignū existimat D. D. Stahlius, quasi, ut verba sunt: Es stümpffte aber die Stief Mutter darauff/ es sey zu hietzig (de Ess. Castorei loquendo) nach des neuen bereits heimlichen medici Grillen/ quasi inquam Vir laudatus secundum audacem adversarii calumniam lectus occultus & tacitus jam tum in hoc casu Medicus extiterit, quod contra honestatem æquitatem & veritatem dictum agnoscit, quippe cui eo tempore de morbo B. nunc Virginis ne verbum innotuit. Hinc illa adversarii Historia turget & squalet mendaciis & iniquitatibus, ut non nisi ab eodem perversam morbi Historiam publicis sui ipsius testimoniis talem firmatam capessere & obtinere liceat. Unde certe neq; famæ suæ aliud nisi turpe erit, provocare ad sinceritatem & integritatem factorum suorum circa præsentem materiam; neq; authoritatis & veritatis suæ testimonium erit aliquam deprecationem à Noverca (uti in Præfat, p. 2. Fulminis ex pelvi, ἀμφιβολογεῖ) sibi factum declamare, modo ne latius extendat, sed probe attendat, quæ à venerando Consistorio ipsi largita & responsa fuerunt. Turpis profecto hæc est prostitutio Viri, senis & spurii Logici. An non hæc summa est præcipitantia, incontinentia, & simul proterva audacia; Ita etiam illa me Epistola, quam acriter etiam austerè, & malitio-

ſtioſe, adverſarius inclamat & incuſat, quæ alia, niſi abſtractiſſima & minime vel ad ullam perſonam vel ſpecialiſſimum factum reſtringenda, edocet: quis docuit adverſarium noſtrum ab abſtractionibus ad perſonalia argumentari, & qui generaliſſimis tantum propoſitionibus aliquot theoriæ & praxeos offendicula tetigi, quis urget applicationem perſonalem in ſe ſuſcipere, cum nulla neceſſitas, occaſio, cauſa, circumſtantia ratio, connexio, vel minimis tantum terminis, ad adverſarium reſpiciat & attineat: confitetur ne? ſe eſſe unum ex illis plurimis Medicis, qui neſciat invertere & torquere, ut quandoque bonum enatum morbi eventum ſuo artificio & experimentis ſæpe numero ſatis præpoſteris & patiens, perſuaſione vel de ſe eidem hoc attribuat: an unquam me talia in applicatione de eodem prædicare aut prædicaſſe conſtat: aut unde colligit, ex quibus rationibus argumentis & documentis ſibi talia arrogare & imputare debeat. Aut qui ego in Epiſtola mea de fallaciis medicis in praxi medica adeo limitate diſſerui, quis unquam talem impudentiam de me ſomniare potuit, quaſi de omnibus medicis, adeoque de adverſario noſtro, talia prædicaverim, aut vel leviſſimis tantum ſpecialioribus et eminentioribus verbis, *Senem* noſtrum rapacem offenderim. Abſit à me illa impudentia & audacia, eminet Medicina multis etiam locis, poſſidet illa Viros ſuos dignos & omni modo laudabiles, quos & ego indefeſſe inquiro, veneror, colo: interim de abuſibus in Medicina paſſim florentibus diſſerendo, quis non præcipitantiæ inſimulare poterit eum qui acriter obloquitur, & ſe offenſum offert qui hic talem ſe, dequo ſermo eſt non eſſe conſtanter aſſeverat; Recte germani loquuntur: Wann mann einen . . nennet/ wollen ſie alle . . . . ſeyn. Allegavi in citata Epiſtola locum ex *Diſp. de Febrium Hiſtoria in genere Celeberr. D. D. Stahlii,* qui pro illa abſtractiore mea deductione Inſerviit, & qui multo minus adverſarium offendere potuit, quo minus ejusdem ſcripta aut facta attinere poſſunt ſed qui æque per præcipitantiam & malitiam in ſuam rem trahi potuit: Unde & ejusdem

C 2 loci

loci ſinceritatem conſtanter defendo & profiteor. Offendo vero in illa Epiſtola tales Medicinas & Medicos, qui imperitè & craſſo modo proterva credulitate ſuis tentatiunculis inhærent & ſine reſpectu morborum, vel individualium, & perſonalium, morum, ætatis, habitus, ſenſibilitatis, conſuetudinis, ubique ad ſua craſſa experimenta confugiunt, & felicitatem in effecta & modo operandi expectant, ſine rationali methodo, ordine, ſucceſſu progrediendo, adeo crude praxin medicam gerunt, ut ſub omni tali indole & praxeos exercitio, æque tamen feliciter miſeros patientes enecent, ac alius homicida, & quis non ſub talibus circumſtantiis Medicum homicidii inſimulare poterit: hæc fuit mea explicatio hanc defendo, hanc urgeo; & hæc & non alia in ſæpe citata mea Epiſtola pertractata a quolibet reperitur. Quis non Logicum noſtrum, adverſarium, ſanæ & veræ Logicæ, maxime imperitum cenſebit, quando male ſibi talia aſſociat, & per iniquiſſimam collectionem talia de ſe prædicata eſſe concludit. Quam turpiter ſe proſtituit, *Senex, Vir, Profeſſor;* feminarum tales mores ſunt, non virorum, neque Senum, ſed hæc præcipitantiæ, & invidioſæ malitiæ publica teſtimonia ſunt. Provoco ad honeſtos & æquos Judices, an ſub omni hac hiſtoria & circumſtantia quam perpetim defendo, tanto ipſi imputatæ injuriæ reus declarari queam; provoco ad reliquum ejusdem Epiſtolæ contextum, an vel ex ulla leviſſima cauſa adverſarius offenſionem aliquam bono jure & ſana mente ſibi arrogare potuerit. Provoco è contrà ad adverſarii Epiſtolam, an non mea verba, dicta ſcripta planiſſime & manifeſtiſſime in eadem arroſa & offenſa proſtent; provoco ad æquos judices an non mihi talia in adverſarii ſcripto Epiſtolico dicta ſint, cum genuinis meis verbis me agreſſus ſit: provoco ad ſincerum judicium, an non adverſarii aggreſſiones maxime nocentes, iniquæ, malitioſæ, præcipitantes, invidioſæ, temerariæ & ſenectute

hone-

honesta maxime indignæ sint. Turpis hæc est prostitutio, quam omnes agnoscent, & commendabunt. Et quis me reum aut noxium æstimabit, quod ad crudam & impudentem adversarii Epistolam, pauló pressius meam responsionem declaraverim, in qua hujus Viri dignitatem & æstimationem omnino in dubium vocare, necessitas postulavit, posteaquam iniqua illa aggressio, non candidi Viri sed malitiosi animi exemplar sit: provocat tam anxiè ad praxin innumeram, & inde conquisitam infallibilem veritatem experientiæ, ex quo præjudicio stupido & crasso, me tantis injuriis onerat, quam vero & praxeos ubertatem & infallibilem sinceritatem in responso meo dubiam reddidi, cum adversarium nostrum longe magis domesticis suis & œconomicis alibi curis indulsisse publica fama ferat: unde neque Physicum in patria (quem tamen anhelavit) illum constitutum esse, quis nesciat: ad tam stupendam praxin & annalium Tomos provocare equidem hanc possum, sicut adversarius ad suam annalium Dianam proclamare solet; interim probe agnosco quæ prudens, perita, & rationalis, & quæ è contra temeraria, improvida, & empirica, praxis audiat, quæ cum aliorum, & præcipuê ægrotantium, notabili detrimento, nihilo minus de experientia aliqua medica jactat & gloriatur; Ne vero ad personalia, æque vera, prolabar, cum me realibus demonstrationibus promtum promiserim, ad alia & utiliora transitum instituere perplacet: Non timeo profecto in rebus medicis adversarii nostri objectiones, &, ut ille autumat, refutationes Neque hanc excusationem adversario, sed æquitati, dexteritati & honestati publicare suscepi, dum inconsiderata ejusdem facta, candida responsione indigna judico. Immiscuit suæ defensioni hinc inde objectiones aliquas: sed admodum frigidas & lepidas, ut pudeat latiore deductione easdem refellere: verbis aliqua tangit; argumenta, ratio & sana demonstratio, desunt; negat aliqua, sed deficiunt rationes negationis; miscellanea,
frag-

fragmenta, manca & hebetiora profert quæ tyro logices, & medicinæ explicare commode poterit; provocat ad senectutem; sed torva senectus, quæ cum invidia sororiam affinitatem habet, veritatem nunquam offendet aut supprimet: non timeo exquisitas & rationabiles objectiones, personalia & ludicras negationes feminis, anubus, anilibus, & annalibus relinquo, unde ad alia me accingo. Hæc est vera historia controversiæ, & declaratio orgasmi præcipitantiæ & malitiæ in adversario nostro.

CAPUT III. Generalia de Padantismo Medico, in Historia & authoritate Medica continet.

VEritati & effectui minime repugnat, sed omni modo convenit illud *Chrysostomi* elogium de doctrinis & theorematibus in genere profitentis: *peregrina* inquit *doctrina multas jactat nugas & multa detinet auditores loquacitate, vacuis tandem manibus dimittit neque magnum neque parvum lucratos emolumentum.* Hoc egregium epiphonema omni jure in meam rem in hoc capite deducendum assumo, cum specimina aliquot Pœdantismi Medici quoad *Historiam* & *authoritatem* in Medico foro obvia; exhibenda susceperim: meam mihi non facio litem circa definitionem *Pædantismi* inter Scholasticos & Philosophos conspicuam, paucis vero enodabo quid hoc nomine pertractare constituerim; neque enim personalia Medica & medicorum allegare animus est, sed perversam tam theoriam quam praxin medicam i. e. ipsam sinistram & diversimode corruptam & obnubilatam Medicinam, & sinceritatem medicam, ostendere, offendere & rejicere, ut ad meliora melior transitus fiat & progressus, ne nudis tantum opinio-

nibus

nibus & phantasimatibus potius, quam veris & realibus demonstrationibus medicina turgeat, & gaudeat: neque in genere Medicinam offendere animus est, cum tantam iniquitatem comittere ab omni honestate alienum esse debeat: sed hanc eandem *quæ* sub traditis diversis schematibus Pædantismi nomen meretur. Hic vero est ille Pædantismus, quando contra rationem & experientiam, theoriæ fictæ pertinaciter & temere obtrusæ, audacter & improvide defensæ, nudis speculationibus & possibilitatibus crudioribus adornatæ, assimilationibus & exemplis maxime differentibus illustratæ propter antiquitatem, curiositatem, & ingeniositatem veneratæ, nullibi vero vera comparatione, connexione applicatione & veritatis genuinæ professione conspicuæ, sed frivolis scholasticis, vere metaphysicis, contradictoriis crasse & manifeste sibi repugnantibus explicationibus, inconsulta garrulitate, perversa syllogistica, sed ridicula scholastica argumentandi ratione corrasæ aut rectius magis magisque depravatæ, divulgantur, iisdem acriter indulgetur, aliorum pedantismis luxuriatur, & in omni tali conditione homines, personæ, individua, honores, authoritates antiquitates & maximus applausus & temerarius consensus æstimatur & secundum has circumstantias sentitur loquitur scribitur, aliosque vinculare connititur: quis non hæc omnia Pædantismum merito appellabit: & hæc talia, Medicinam maxime attinent & eo à me restringuntur & applicantur: Talia cum diversimode in medicina occurrant, quis hic impium aut invidiosum bona & salva conscientia insimulare poterit eundem, qui huic Medicinæ Medicinam invenit, constituit, offert & exhibet, quæ conamina & labores magis commodum publicum quam propriam æstimationem, commoditatem, honorem, novæ theoriæ adorationem cultum & venerationem affectant: Deus est Pater & Author veritatis, cui honor laus & gloria, quis hunc temerarium aut superfluum

bono jure poterit prædicare conatum, qui ipsi formæ & essentiæ rei meliorandæ, repurgandæ, integritati suæ restituendæ cum honestate & dexteritate indulget & invigilat: quæ non encomia fluctuant in Orbe literario de illis qui verum, certum, honestum experimentum communicarunt maxime in nostra Medicina: cum vero ipsa Medicina sana ratione exequenda sit, quis illum insanum, aut audacem vocabit, qui huic sinceritati & dexteritati Medicinæ incumbit: unde neque me invidiæ, odia personalia, calumniæ unquam deterrent, in Medicinæ subsidium ratione & experientiæ maxime convenientia simplicissimis etiam deductionibus, sine ambiguo verborum ornamento & lenocinio, quod veritati nihil addit, sed potius offendiculum evadit, producere explanare & commendare. Sane non est mihi animus scripturiens, quod frigide & scholastica magis objectione mihi imputari solet, alias uberioribus deductionibus alia in publicum emittere, post habitis reliquis meis loboribus, hactenus occasionem forte non incommodam obtinuissem; Sed cum non alia nisi veritatis semita mihi & aliis honestis ingredienda veniat, solidæ & sinceræ veritati congrua non alia curiosa inutilia &c. publicare cepi: exinde animũ scripturientem arcessere, contra omnem sanam & bonã Logicam est conclusum. Nullus interim theoriæ & historiæ medicæ gnarus & dextre & solide peritus dissentiet, quod Medicina nostris precipue temporibus non leviter sed crassis & conspicuis documentis clare magno numero & magnis partibus passim corrupta, depravata, perversa, & turpiter implicata sit, ut non mirum evadat tot *insomnia*, opiniones & confusiones quotidie enasci, & irruere. Quis unquam tantam opinionum medicarum ab omni tempore pervidere poterit miscelam, quæ hodie non valeat, & latius serpat, hinc ad ipsam Historiam medicam respiciendo paulo pressius hujus rei veritatem & sinceritatem intueri queamus. Quæ *Empiriam* & *empiricorum* medicorum classem attinent, sistunt equidem notabile

tabile ſymbolum factæ inverſionis Medicinæ, & perverſionis artis Medicæ cum craſſo magis ſenſu ſine vero & ſolido judicio, nedum rationabili applicatione, ad experimenta tanqvam ad ſacrã anchoram plurimi confugerint, unde ab iisdem frivolæ & temerariæ commentationes aut rectius commenta in Materiam Medicam plurimum irrepſerunt, hiſtoriæ vero medicæ morborumturpes jacturæ, neglectus & confuſiones enatæ conſtant neqve illa tanta fuit artis Medicæ confuſio, qvæ hodiernis temporibus inſigni numero, proh dolor, omnino viget: ſubſtiterunt illi experimentatores, & temerarii jactatores, in nuda mediorum & remediorum obtruſione magis, qvam rationabili inqviſitione, comparatione & applicatione, qvibus abuſiva hæc ars maximum conamen & induſtria fuit, ut inde illæ lites inter dogmaticos & hoſce empiricos ab illo tempore in noſtra tempora derivatæ, non poſſint non innoteſcere, qvibus experientia ita dicta fulcrum Medicinæ unde illæ frigidæ ad huc hodie divulgantur recitationes, qvod experientia ſit unicum principaliſſimum & genuinum Medicinæ fulcimentum, (ſive recta illa ſit, ſive non, modo ſit ad qvam provocari poſſit) qvam ratio qvaſi per accidens inſeqvi poſſit & debeat; talis eſt experientia modo ſine ratione modo ante rationem, rarius cum ratione directè conjuncta, ſed per accidens rationem aſſumens: hinc illæ frigidæ experientiæ qvæ magis titulis, voluminibus, *annalibus*, obſervationibus imo non raro fictionibus producuntur & declamantur, ut nullæ niſi ſtupidæ rationes hujus experientiæ ex generaliſſimis fontibus proferantur; aut qvod ad alterum craſſi Pædantiſmi ſchema pertinet, qvando remedia minime per rationabilem experientiam & abſolute ſalutarem effectum extolluntur & commendantur, ſed catalogi encomicorum cum ſtupido ſæpe judicio formantur qvia Ettmullerus hoc remedium nobiliſſimum & præſtantiſſimum appellat, qvia Boylens, Schröderus &c. hoc remedium laudant, E. ſalvus ejusdem

dem usus est in hoc objecto, in hisce circumstantiis &c. absit à me tantorum virorum famam offendere illud tantum Pædantismi exemplar improbo, qvando temere ad authoritates nudas provocatur, minime ad rationalem experientiam, sed crassam empiriam, sub turpissimis jurgiis & invido animo, de qvo authoritatis pedantismo inferius plura. Neqve unqvam in Medicinæ commodum vel ullo documento diversitas & novitas opinionum inservit, sed potius totius Medicinæ grave offendiculum, & notabile scandalum præbuit: Quid Physicis conceptibus ab omni ætate Medicina auxilii recuperaverit, forte ipsa solida experientia docebit, longe sincerius, qvam omnes reliquæ catachresticæ enarrationes & loqvacitates. Illa sane in Historia medica attentenda veniunt tẽpora turbatæ artis medicæ, qvam primum illa antiqvitatis generalis physica, ad speciaiores & specialissimas applicationes corrasa, & genuino termino eloqvendo, contracta fuerat: imo ne ipse qvidem *Hippocrates* ex Physica qvam simplicissimam & iñocentem ille etiam maxime sectatus fuerat, artis suæ dignitatem & æstimationem obtinuisset, nisi attenta mente & solicita ratione ad facta, Historias, circumstantias, ordines, successus, tempora, effectus & eventus respexisset, qvantum ipsi talis sedulitas & ratio pro salutari experientia commodi & utilitatis conciliaverit, nemo nisi artis hippocraticæ imperitus denegabit: interim non sufficit provocare cum audacia ad Hippocratem, Galenum aliosqve quos neqve intellixisse neqve cum ratione attenta applicasse constat, qvod genus audaciæ ad Pædantismum Medicum pertinet, cum præjudiciosa lectio & studium Hippocratis genuinam artis imitationem minime omnium inferat, ut hinc inde qvicquam ex Hippocrate & Galeni protrahere & in unum grama commiscere, sine genuino hippocratico sensu, usu, & applicatione crassi Pædantismi Medici conspicuum specimen, aliorumqve theorias

ex

ex hippocrate aut galeno convellere irritum conamen sit, si mens crassis Pædantismis obnubilata hæreat: unde non excusat; illud rusticum & stupiduin: evolvi ego hippocratem, Galenum Avincennam, qvi talia non statuunt! sed forte statuunt si intellectus non turgidus ambitione, audacia & præoccupatione sibi sufficienter constaret, Interim & hippocrates & galenus ille vero magis qvã ultimus excusandus, cum arti Medicæ genuinæ morborum historiæ tam abundè prospexerint, ut omnes aniles annales, neqve illustrare neqve melliorare poterunt hanc medicam antiqvitatis assiduitatem. Et qvod ferè multis vicibus de observationibus medico practicis sincere contestandum, sunt illæ tales novitates & artis medicæ confusiones multo numero & æquali apparatu adornatæ, qvibus hippocratis artem commendare & imitari velle vel posse, qvis peritus Medicorum unqvam somniabit hæ sunt experientiæ solida ratione, qvas producere & allegare infructuosum & inutile fuerit, cum solitis & simplicioribus historiis in antiqva Medicinæ ætate maxime obviis, repugnent & contrarientur. Hic est Pædantismus Medicus, hippocratis theoriam de acido, pontico austero amaro aut de cruditatibus allegare, & artem negligere, aut simplicitatem hippocraticam, distorquere & convertere, ut suæ theoriæ, & suis perversis tentaminibus, fulcrum & asylum esse debeat: hæc non sunt imitationes & peritæ Medicinæ hippocraticæ sed confusæ & audacis mentis notorium symbolum gerunt Hæ sunt illæ crudæ theoriæ, qvæ de freqventia cruditatum somniant, & garriunt qvas tamen peritissimus senex ut plurimum turgere asserit: hæ sunt illæ ineptiæ qvando specialius hippocrates de salibus eorumqve speciebus edisserit qvæ cum crasso judicio ad omnes & singulos morbos corripiuntur & qvæ hincinde alterare, educere, & relegare frustaneo plurimum non raro etiam funesto conamine multi, student, cooperantur & invigilant: Hic si non Pædantismus? cer tenusqvam talis in Me-

dicina viget. Dolendum interim eſt, qvod multi craſſo & ſtupido ſæpe Judicio venerabilem illam hippocraticam artem iniqvè pervertant, imperite retorqveant, frigide interpretentur, in ſua ſomnia petulanter corripiant, inde nævos ſuos exornare & excuſare ſtudeant & ſua omni reliqva audacia & petulantia acriter ad hippocratem provocent, clament, confugiant cum impetu & raptu, ſed in rei veritate fruſtrentur. Fallantur & alios fallant & decipiant, cum confuſi & ſtupidi ſint, & optimis etiam monitis confuſiones & commenta ſua accumulent & accelerent: Hæc ſunt ſpecimina Pædantiſmi qvæ ex Hiſtoria Medica profluunt. Hæc pertinent autem temerariæ & præmaturæ interpretationes, inverſiones, & retorſiones monitorum hippocratis, qvando vel ſtrictiſſima via ad ſcholaſticam argumentandi methodum diripiuntur, vel ad novaturientis Philoſophiæ (modo ſemper vera & ſana eſſet) indolem trahuntur, ut vel ſimpliciſſima ſimplicitas hippocratis peſſime dehoneſtetur, detorqueatur, adulteretur: Excuſandus eſt Hippocrates qui ad Felapton, Darapti, neqve philoſophari didicit, & qvi ſuo ævo covenienti ſimplicitate philoſophatus eſt, neqve Sophiſtis ſcripſit, neqve ambiguitates & æqvivocationes intendit, unde non mirum eſt, dari homines Medicos & Philoſophos qvi ex eo hippocratem damnant, qvod ſuo captui & ſenſui non ſatisfecerit, cum ſui reliquo antiqvitatis candore paulo modeſtius interpretari potuerat; imo ſunt, qvi hippocratem qvidem damnant, qvem non niſi ſuperficiario ſtudio, ex petulanti carpendi & ſingula taxandi libidine legerunt, neqve vero recte intellexerunt, ſed ex præmatura ejusmodi ſapientia virum arte & dexteritate per ſecula celebriorem dubiæ fidei reum agere geſtiunt. Si qvem vero vel ſimpliciſmum erroneum vel notabilem ſolœcismum Hippocrates commiſerit, modo ille realiter ex genuino authoris Senſu exhibeatur, & ſi opus eſt meliore ſed rationabili methodo corrigatur. Et hæc ad Hiſtoriam Medicam ex Hippocratis Medicina deſumta pertinent. Aſt ſi

ſingula in hiſtoria Medica noſtro ſcopo applicare tempus & occaſio permitteret, forte non leves, ſed abominabiles Pædantiſmi recenſendi forent, qui damna plurima Medicinæ conciliarunt, unde ad propiora tempora, ex qvibus craſiſſimos illos errores ſingnificare & ſinceritas & veritas invitat, me converto. De inventis medicis qvæ omnino in tempore ſucceſſive inclaruerunt, adeoqve ad Hiſtoriam medicam pertinent, multa qvidem & merito ſub ſpecialiore deductione dicenda eſſent, ex quibus vero ſumme neceſſaria & utilia in noſtrum filum trahere perplacet. Qvod inventa Phyſica in medicinam hactenus translata concernit, dolendum omnino eſt, qvod plurimum vel inverſa methodo eruta vel perverſa ratione applicata vel per frivolum præjudicium excogitata, ficta & declamata ſint; ne hæc tantum temere objurgare videar, ad ſpecimina aliqvot propius deſcendo: Quid enim unqvam Phyſicis experimentis in medicina demonſtrari potuit aut ad corpus vitale rationabiliter applicari? cur corpus humanum cum antlia pnevmatica aut machina papiniana & non cum tibia utriculari, folle, veru avtomatico aut tubulo fictili lucanica comparatur, cum facilis & æqualis perinde eſſet comparatio cum ejusmodi ſubſtantiis, ac aliis rebus, qvis enim pro aſſimilatione inſtituenda æqve antlias, aut organa puevmatica urget, cum in illis comparationibus ineundis mens humana curioſa ſemper affectans utplurimum petulans & μετὰ πολύς φαντασίας ut plurimum irrita inania ſuperflua & inutilia conſtituat; qvæ nam illa neceſſitas comparationis machinæ papinianæ cum ventriculo, cur ventriculus non cum Luna aut Sole comparatur qvis urget cor antliæ hydraulicæ aſſimilare & inde demonſtrationes medicas exhibere, cum in eſſentialibus & accidentalibus in motu, modo ſive methodo, ordine, ſucceſſu, effectu, conſecutione &c. manifeſto documento ſibi in vicem contrarientur: & omnis illa hydraulica neceſſitas frivola mentis fictione, cogitatione, ideali aliqua

repræ-

repræſentatione turbari qveat; qvid animæ cum neceſſitate φυσικῷ hydraulica intereſt qvis unqvam comparare & juſto ordine conciliare poterit, progreſſum ſanguinis in corpore, per illum ſimplicem Phyſicum impulſum, ubi una particula alteram tundit, trudit, pellit, una pars, una fibra alteram ſtimulat, incitat, vellicat, pellit, & appellit, ubi nulla proportio motus, nulla conditio materiæ ad hunc motum, nullus verus ordo in motibus unqvam demonſtrari poteſt, qvi v. g. fiat, qvod ſemper in corpore illa æqualitas, & profecto in rebus Phyſicis mechanicis abſolute neceſſaria exqviſitiſſima proportio continua motus ad materiam reſpectu continui ſalutaris; cum nullus ne per ſomnium qvidem opinari poſſit, qvod in corpore tantum per unius horæ ſpatium tam intrinſecus, qvam exinſecus illa æqvalitas motus vigeat, hæc cum nunqvam ſit perpetua, & perennis, omnino hujus progreſſus, hujus ſtimulationis, hujus pulſus, hujus impulſus, hujus, truſionis alteratio vigere debet. & ſi ex Phyſicis ejusmodi traditis commodis homo vita frueretur, revera miſerrima eſſet humanæ vitæ conditio, cum homo vix in lucem editus ob multiplicem motus alterationem, & per conſeqvens avtomatici corporis inverſionem, confeſtim, repente emori debeat: qvæ vero motuum vitalium continuatio longe freqventius & qvotidianis experimentis & exemplis, ab anima nō *metaphyſica directione*, ſed ab ipſa anima fingente, præfigurante rationali dicta cum motu im̄ediate exhibito, & in partes tam fluidas qvam ſolidas introducto, ſine ullo metaphyſicorum ſpirituum concurſu & interceſſione, una momentanea actione, alteratur & mutatur; qvæ talia plebi cognita ſunt, qvod, ſi v. g. qvisqvam iraſcatur aut terrorem concipiat, repente illo momento in pulſu cordis alteretur ſimplici notitia, qvod ſi anima iraſcatur, (non ſpiritus non machina, quæ de ira. terrore, odio, gaudio deſiderio tantum ſciunt, qvam vehiculum foeno onuſtum, de ejusmodi fictionibus ſcire poterit) tunc pulſus mute-

tur:

tur: Philosophia vero ne hoc phænomenon ſicco pede præ- tereat, & plebis theoriæ relinqvat, ita pliloſophatur: qvando anima iraſcitur, tunc imprimitur ſpiritibus certa idea NB qvalis vero METAPHYSICA, OBSCURA) certus motus, qvalis (cetus; ô pulchræ Metaphyſicæ! qvispiritus tanqvam fideles animæ ſingulatores, pernervos fluunt & in iracundia, primo celerrimo luminoſo motu (vel ut vernacula eloqui poſſimus auf der Poſt gesport und geſtiefelt.) ad cor, cur non ad cubitum? qvia Syngraphum viatorium, ad cor à regina ſua receperunt, aut qvia ex idea illa impreſſa neceſſario ad cor equitare debeant, pulchra Metaphyſica?) inde influunt in fibras cordis & movent & iterum movent & trudunt, & ſaltant & titubant & tremunt, inflant fibras qvæ propter claterem & reniſum ſuum metapyhſicum viciſſim ſeſe contrahunt ut talis ſpecies motus deſultet: apage fabulas hoc inventum pertinet ad Phyſicam inauditam & fabulas magis, qvã reales, conceptibiles & demonſtrabiles theorias & doctrinas; cujus rei in peculiari capite plura ſchemata exhibere neceſſitas & utilitas poſtulabit. Hæc licet ſint generaliora ſpecimina inventi ejusmodi Phiyſici, geometrici, ſtatici, mechanici, pnevmatici, mochlici tamen vel in genere falſa ſunt & inania vel in ſpecie in progreſſione, comparatione & applicatione, meta phyſica obſcura nihil ſignificantia & deſignantia, fictitia, & aſyla deprehenduntur, quibus neqve qvicqvam probare, neqve demonſtrare aliqvid unqvam licebit, vacabit, intererit, neqve abſurdũ eſt dicere, aſſeverare & conſtanter defendere qvod comunis theoria phyſica ad medicinam neque comodum, adjumentum aut ſubſidium neqve neceſſitatẽ & utilitatem unqvam habeat, habitura ſit auhabere poterit, & quod e contra in medicina talis Phyſica offendiculũ ſcandalum impedimentum & damnum certe præbeat,, ſimpliciter conciliet, & conſtanter imo infallibiliter ſubminiſtret, qvod erit in poſteribus demonſtrandum.

Ad

Ad Hiſtoriam medicam pertinet præterea quod vetuſtiſſima fuerit Philoſophorum ſententia, doctrina & theoria animam movere corpus, animam eſſe naturam & vice verſa naturam eſſe animam, non ſpiritum corporeum, non animam diſtinctam, non animam metaphyſice diſcretam ſed animam, non animas, ſimplicem animam nondum vegetabilem, rationalem & ſenſitivam, hæc enim diſcretio ad propiora ad huc tempora pertinet, illi inqvam veteres crediderunt: animam eſſe naturam ne vero hiſtoriæ Philoſohicæ & ſimul rei literariæ ignarus, rudis & crudus ſtupide objiciat *quare non nominantur illi veteres? Hippocrates certe & à priori & à poſteriori hæc natura myſteria ignorat*, &c: erit exempli loco hujus aſſerti teſtis *Empedocles* & ſano ſenſu ipſe *Hippocrates*, qvi utriqve per dimidium ſeculum ante *Ariſtotelem* vixerunt, ille paulo exquiſitius, poſteriores vero ut *Alexander*, *Averrhoes* &c. non minus expreſſe animam uti illi appellant non aliam niſi intellectricem, qvæ intellectum & neceſſario rationem habet, animam naturam eſſe aſſeverarunt: Profecto non aliæ niſi illæ antiquæ fabulæ & næniæ occinuntnr inter recentiores, qvando animam rationalem naturam eſſe nullo modo concedere volunt, unde tam ex antiqvioribus frivolas illas objectiones allegare lubet: prior ratio eſt, quia anima humana nullo modo natura eſſe videtur, cum hoc Ariſtotelis aſſerto repugnat; altera, qvia Ariſtoteles jam tum inter animam, naturam & intellectricem vim diſtinxerit, & tertia deniqve qvia natura ad unum anima vero ad plura tendat, moveat &c: hæc ſunt illa monſtra Phyſicæ, & velim ſane alia in recentiori Phyſica argumenta, & documenta lubens exaudire, quibus naturam & animam à ſe invicem diſtinguere paſſim contendunt, qvæ non ad monſtroſa ejusmodi figmenta redigi queant, tam frivole. ſibi invicem ſimplices, planos & laudabiles conceptus confuderunt & perverterunt Philoſophi. Ante Ariſtotelem Empedocles diſſerte profeſſus eſt qvod natura

tura

tura sit anima simplex, non distincta, ab Aristotele vero invaluit & insoluit petulans illa animarum separatio; studebant qvidem animam pro natura conservare, sed cum bruta & vegetabilia naturam habere testificent & justificent, non posse sine magno Atheismi crimine, (qvorsum & hodie adhuc Sholastici illi Physici provocant) brutis & vegetabilibus concedi, intelligens anima, ut vero anima sit & maneat, distinxerunt inter vegetabilem, quæ homini, bruto & plantæ communis, sensitivam, qvæ homini & brutis propria, & rationalem animam, qvæ homini tantum essentialis, ut tantum aliqvid dixisse videri velint, cum fundamentum hujus theoriæ sit petulantia, opinio, præjudicium etc: Unde aliqvo modo sub conveniente interpretatione recte *Conimbricenses* commentatores dicunt: *Qvare minime probamus eam sententiam, cujus Autor fuit Plato, assertores Themisthius Simplicius, Philoponus, & de Latinis non nulli, qvi volunt animam humanam, prout intellectiva est, gubernatoris duntaxat* (NB alibi directionis terminum sustinet) *non vero informantis locum in corpore obtinere, atqve adeo secundum eum gradum non esse vere formam corporis. Licet enim intellectus corpori neqva qvam hæreat; id tamen non impedit, qvo minus intellectiva anima, cui insidet, secundum gradum intellectivum, qui ab ejus substantia re ipsa non distinguitur, vere ac proprie corpus informet,* NB non tantum dirigat, sed positive realiter informet: ejusmodi confusiones in Historia Philosophica manifestæ, pertinent simpliciter ad Pædantismum, quorsum bono jure adversarium nostrum cum theoria sua de anima & motu referre possumus, de qvo deinde paulo plura addere lubet. De Hippocratis theoria qvid per naturam intellexerit, adhuc pauca adjicienda sunt, asserit ille constanter *natura facit τὰ δέοντα, convenientia*, non tam utilia, sed illa maxime, qvæ conveniunt. Diversæ semper inter Philosophos agitabantur naturæ significationes, ita ut non arduum sit qvinqvaginta differentes naturæ acce-

acceptiones ex iisdem connumerare & producere: neqve latet, ipsum Hippocratem diversimode naturam explicare, ut vel totum corporis complexum & habitum, naturam appellare soleat, non dissentiendo à communi naturæ accusatione, sed in eo Philosophiæ suo tempore florenti indulgendo, ut habeant notionem, ex qva intelligere qveant, qvid Hippocrates, *in Libr. de Natura hominis, de genitura, de natura pueri, de carnibus* etc. denotare & explicare velit; quam vero naturam, nunqvam cum altera illa, qvæ τὰ δέοντα præstare debet, confundit, & licet eandem definitivè non explicet, sub hac vero & passim alibi in scriptis suis facta repetitione, longe aliud qvicqvam qvam corporis habitum per ejusmodi naturam injungit & intelligit: egregia est expressio *Hippocratis*, qvam de natura non corporis, sed actiones, motus, effectus edente & exhibente in *Libr. de Morbis vulgar. Sect. 5. §. 2.* allegat: *ἀπαίδευτης ἡ φύσις ἐοῦσα, καὶ οὐ μαθοῦσα τὰ δέοντα ποιέει. Natura qvæ non edocta, sine disciplina agit* τὰ δέοντα, ποιέει simpliciter, minime vero aliqvando efficit τὰ δέοντα ut inde bonus talis effectus, secundum convenientiam exhibitus, non accidentalis aut fortuitus, sed conveniens sit, adæqvatus sine prævia facta παιδεία: meretur in hunc textum comentatio *Fæsii* conciliari, qui de natura per se bene edocta, sub termini εὐπαιδεύτου explicatione loquitur & *Galeni* consensum allegat: si nunc paulo penitius terminum παιδείας, doctrinæ & actionis secundum convenientiam perlustramus & inqvirimus, qvis sana mente præditus poterit Hippocrati aut aliis obtrudere, quod sensus hujus expressionis sit de natura corporis, de temperie principiorum elementarium, de calido, humido, frigido, in quæ ne tyro Philosophiæ nedum Hippocrates παιδείας & actionis secundum convenientiam terminum conjicere poterit; neqve allegorica aut Καταχρεστικὴ hæc est locutio, cum simplex & plana, simplici etiam conceptu allegata, & passim repetita constet; qvis enim ex ullo *ponte logico* poterit hæc contradicto-

dictoria conciliare, agere convenientia, neque convenientiam in motu, in modo, in ordine, in gradu, in constantia, in successu in effectu, in fine ulla rationabili efficacia, nosse, scire, licet habitus hujus scientiæ seu doctrinæ semel ipsi naturæ impressus, non aliunde multa doctrina, informatione & disciplina comparari debuerat; materiæ aut corpori talem impressionem assignare, contra omnia principia Physica est, cum ulli materiæ per qvamcunqve probabilem rationem, nedum demonstrationem ejusmodi efficacia assignari non queat, absolute non possit, neqve unqvam constet, qvod Deus materiæ efficaciam sentiendi, intelligendi, rationandi concesserit, cum præter animam nulli subjecto in Physico ordine rationem largitus sit. Quicqvid enim de tali impressa materiæ efficacia differitur, nunqvam per veras rationes, sed per illum loqvendi terminum declaratur non posse rem aliter concipere, aut aliquot frigida similia, nunqvam vero, qvod iterum confirmo, ullæ rationes allegari & proferri passim solent. Inde infero & constanter assevero, quod Hippocrates per hanc naturam, qvæ movet, non corporis naturam, sed principium intelligens, sciens, declaraverit, intellexerit, & ex ipsis effectibus, motibus & actionibus probe agnoverit. Multa de hac materia dicenda essent, sufficiant hæc pauca: redeo ad frigidam & ex falsa Philosophia profluentem objectionem, qvam adversarius partim in *Epistola* sua, partim in *crudo* altero *defensionis* scripto stupide & ludicre, certe sine ratione & cogitatione, offert & subjicit: qvasi anima rationalis natura esse neqveat, cum rationalis sit, & tamen de actionibus & finibus suis nihil cogitet, qvasi præterea absurdissimum sit, rationem sine cogitatione concipere; cum vero adversarius noster perinde sit animal rationale, secundum communem hominis definitionem, qualem cogitationem habere poterit de Lupo in abstracto, aut de Mexicano illo dæmone, quem Fizlibuzli appellant, aut de ente aliqvo nudæ rationis, est enim cogitatio repræsentatio, præfigura-

 gura-

guratio iterata ejusdem qvod semel in sensus crassissimos incidit, sub certa figura, magnitudine, extensione Physica corporis, materiæ, unde de Deo & angelis datur qvidem simplicissima ratio, sed certè nulla cogitatio, præfiguratio, aut idealis repræsentatio: jam dudum vero hoc latius & κατ' ἄνθρωπον deductum est alibi ab *Celeberrimo nostro D. D. Stahlio, cujus famam lupini illi audaces & rabiosi morsus neqve imminuere per Dei gratiam valebunt, sed qvem Deus benedictione, vita & tranqvillitate beare pergat,* hic, inqvam, laudatus vir, *rationem* & *ratiocinationem* non ex frivola distinguendi lubidine, qui mos aliis forte proprius est, sed ex antiqvissima Philosophia & ejusdem constanti monumento, tanqvam distinctos actus exhibuit, & solide expoluit: cum medica & simul Physica exhibeam, evolvat adversarius *Hippocratem*, qvia in *præceptionibus* statim in initio dicit: ὁ γὰρ λογισμὸς μνήμη τίς ἐςι ξυνθετικὰ τῶν μετ' αἰθήσεως *ληφθέντων &c: *ratiocinatio enim in eorum qvæ sensu comprehenduntur recordatione qvadam consistit. Sensus namqve evidenti imaginatione conceptus, primam eorum, quæ subjecta sunt, perpessionẽ suscipit, & ad cogitationem transmittit: hæc vero ubi receperit freqventerqve qvibus, qvando ac qvaliter convenit ista conservarit, in sese reponit & recordatur: ratiocinationem igitur plurimum laudo* &c: hic est *Foesii* textus, est itaqve *ratiocinatio* nihil nisi *cogitatio* repræsentatio ex sensibus, adeoqve datur ratio sine ratiocinatione, sed non vice versa, cum non omnium rerum ex omnibus & in omnibus detur, sensualis præfiguratio, unde de rebus abstractis ratiocinari irritum est, cum à sensibus abstrahamus interim per rationem, concipere & distingvere sciamus, qvorsum illa abstracta reponere debeamus: qvam turpis & futilis illa est Philosophia, qvæ de jucundo aut adverso aliqvam cogitationem urget & profert: interim in ratione, cum ratione, per rationem & secundum rationem jucunda & adversa æstimantur. Cur asa fœtida in olfactu, amarities bufonis in

ſapore, aut alia; ſenſus ſibilus in auditu adverſa ſint, nemo ratiocinari poterit; interim per rationem, ſine cogitatione adverſa talia judicantur, neqve hic mechanicam licebit provocare neceſſitatem, qvod primo ad rem ipſam nihil contribuat, deinde abſolute inferret æqvalitatem effectus in omnibus individuis, qvorum ſingulorum nares, ex carne, nervis cartilagine, &c & non ex charta conſtant, neqve hic diverſitas pororum rem explanabit, ubi enim æqvalitas eſt mixtionis, ibi & æqualitas eſt pororum, neqve ſtrictura fibrarum negotium expediet, alias adverſa talia magis vellicent fibras, in ſtrictioribus ſubjectis & ſenſus iterum eſſet magis adverſus, qvod tamen in effectu abſolutiſſime ſalſum eſt, cum cholerici & melancholici magis amara ament, perferant quam dulcia, & delicatiores ſangvinei ex amaris notabilem nauſeam & averſionẽ forment; unde ratio datur ſine cogitatione, hinc objectio ejusmodi ad Pædantiſmum pertinet: de hac materia plura poſſint dici, ſed qvæ pro fundamento inſerviunt jam publice proſtant, neqve unqvam ullum ſolidum argumentum contra hoc aſſertum offendi; maneat ſibi tranqvilla, incorrupta veritas : præjudicia rem non abſolvunt; dicere qvod abſurdum ſit, ſupponere animam rationalem, & nonnunqvam non cogitantem, & hæc abſurda prædicare ex nullo alio argumento, qvam ex non videtur, non concipere poſſum certe abſurdiſſimũ eſt & à ponte logico vero, ſolido, firmo alienum: unde crudæ adverſarii noſtri, imo rabidæ Philoſophiæ condonare qvicqvam debemus: hæc teſtimonia malæ ſuæ Logicæ pertinent ad fabulas, gerras, & aniles annales. Sufficiant hæc breviter ex Hiſtoria medica produxiſſe, cum in reliqva deductione plura exemplaria perverſæ ejusmodi Theoriæ Medicæ occurrent. Unum adhuc circa authoritatem medicam addendum eſt: qvantum hæ valeant in Medicina, neminem fortaſſe latebit, neqve deſunt, qvi iniqvum reputant, niſi qvælibet pagina ſuos Patronos, Authores & Cohortes ſcriptorum

rum obſignet, & exhibeat, non tantum qvoad opiniones, ſed & qvoad conſenſus in praxi, experientia & experimentis, tantus vero etiam abuſus hujus authoritatis medicæ viget, ut multi inde decipiantur & decipiant: authoritatibus enim non nunquam medicina confirmatur, & ad qvas fere in infinitum, & in circulum provocari paſſim ſolet; merentur vero illæ ſeligi, qvæ in infinitum non fallunt: iniqvum interim eſſet gloriam authoritatis in Medicina offendere, cum experientia non rationibus, ſed authoritatibus inniti multi frivole ſibi perſuadeant: turpis eſt illa experientia, qvæ rationibus deſtituta hæret, & qvantum authoritatibus innitendum ſit, judicet ille, qui in Materiæ Medicæ commentatione loco experientiæ, innumera commenta, figmenta, ludicras empirias & copioſas deluſiones conſpicit & experitur: qvid authoritates valeant ad Hiſtoriam Practicam paucis declarandum; immaturi annales, & curioſæ obſervationes eandem nunqvam perficiunt, ſed magis dehoneſtant, confundunt, pervertunt & oblocutionibus exponunt: magna hic eſt authoritas antiqvitatis, multum vero corrupta & adulterata in media & recenti ætate: qvantum interſit ſimpliciſſimos morbos rectè intelligere, eorundem ordines, ſucceſſus, circumſtantias, & exitus familiares rectè attendere, qvilibet peritus Practicus lubens confitebitur: novos vero morbos fingere, ſimplices confundere, & crudis cruditatibus per crudam theoriam ſimpliciſſimos effectus declarare, maximum Hiſtoriæ practicæ offendiculum & nocumentum eſt: quantum noceat morborum hiſtorias temerè in ſingulas theorias trahere, ſymptomata magis in animo fingere, qvam in facto attendere, aut per infallibilem conſecutionem formare, accidentia ad ſpeciem morbi minime omnium pertinentia effingere, deprehendant illi, qvi vera Hiſtoria medica gaudent: qvantum in ejusmodi confuſo ſtatu authoritates noceant, prudens Medicus facile dignoſcere poterit; quæ non febrium, ratione Hiſtoriæ ſuæ genuinæ & ſimpliciſſimæ

cissimæ, confusiones conspiciuntur, ut ejusdem confusis authoritatibus fidere irritum profecto & ridiculum non tantum, sed etiam noxium esset: neqve hic satisfacit, ad ejusmodi confusas authoritates provocare: ut unicum tantum exemplum adjungam, poterit pro testimonio hujus veri asserti inservire *Historia inflammationis*, in qva, qvæ non diversæ dolorum species per nudam opinionem finguntur, modo rodens, alibi vellicans, pungens, acris &c: quarum nulla in vera & simplici inflammatione unquam vere occurrit, nisi illa species in animo Medici qvandoqve fingatur, unde cruditates, acrimoniæ, aciditates, corruptiones finguntur, pinguntur, adeoque per malum indicationem aggrediuntur, ut non rarum sit ex mala & confusa Historia ad malam & confusam therapiam confugere ac devenire & gravem cladem in miseros patientes perficere, ut Hippocrates inde commotus fuerit, hanc turpem calamitatem appellare, qvando æger ex pharmaco exhibito interficitur, neque enim pharmaca tantum sub inconveniente usu mortem accelerant, sed alia subinde inconvenientia remedia, qvæ genuinæ historiæ morbi minime respondent, sed maxime contrariantur, aut qvibus per rationalem empiriam fidere non licet, præcipue illis, qvæ temere exhibentur; quare non *decet*, dicit Hippocrates, ut *qvis pharmacis confisus temere ea exhibeat*, qvorsum etiam alia temeraria remediorum exhibitio pertinet: hæc dum exempli loco proferam, minime ad personalia restringenda sunt, ne adversarius noster novo præcipitantiæ raptu, me reum agere queat, quasi sibi hæc dicta sint, cum mihi non constet, qvod vel qvenqvam vel qvanqvam pharmaco, vel alio remedio ipse interfecerit, ut adeoqve de illo talia prædicare, nunquam susceperim, cum Medicinam in genere talem, de qvo loqvor, arguam qvod sub inconvenienti Historiæ practicæ dignotione & remediorum inconvenienti subjunctione hanc *turpem calamitatem* inferat

&

& progeneret: qvod ipsam vero experientiam attinet, turpis est calamitas, qvando sine rationali ordine remedia magnis encomiis hinc inde onerata obtruduntur, ex crudo authoritatis præjudicio, & licet, pro variis salutaribus effectibus in uno aut altero convenienti subjecto edendis eadem convenire quis hic urget usum ad omnia subjecta indifferenti usu, indifferenti tempore, indifferenti ordine, ubiqve sub indifferentismo: Tam crudum etiam Pædantismum in hoc negotio adversarius committit, qvando pillulas D. D. Stahlii stupido sarcasmo cunctipotentes deblaterat, & de earundem cunctipotentia garrit. Certe qvotiescunqve etiam de pillulis suis laudatus vir loqvi & scribere occasionem habuit, ab illa imprudenti extensione & applicatione ad singulos affectus sedulo & cum repetita explicatione serio dehortatus est: hoc docent scripta publica, qvæ de hisce pillulis prostant: unde adversarii rudis & cruda deblateratio de iisdem facta, ab omni honesto & prudenti homine merito ad raptus & Pædantismos perinde refertur: Qvanti nominis sit inter Medicos rad. Angelicæ non latet, qvi vero talia encomia in suam partem trahit, omni subjecto, omni tempore in laudatis affectibus eandem exhibet, videbit, qvantum salutis inde obtinere poterit, & qvanta sit discrepantia in effectu, qvem magnis pollicitationibus salutarem & utilem declararunt: qvod si sinister effectus ex ejusmodi indifferentismo ortus, turpis est calamitas ad authoritates provocare, & motus majores concitare aut alienos proritare, ubi ex sensibilitatis, temperamenti, morum, habitus, dispositionis hæreditariæ, aut materiæ alias mobilis, corrumpentis, ad proximam corruptionem summe pronæ & subito accedentis ratione, tale qvicqvam neqve necessarium neqve utile esse poterit, aut aliqvam motuum temperiem pervertere, turbare, confundere, aliorsum sub tanta turbulentia deferre, deducere, irritare, aut materiam, præparatam licet, non modeste promovere, si alia promotio deficiat, aut non præparatã
coge-

cogere, urgere, aut summe corrumpentem longo ambitu corrigere, in nobiliores partes deducere, aut inconvenientibus excretionibus exturbare, aut ab extra introrsum repellere, ubi notanter Hippocrates partim in practicis suis aphorismis, partim in lib. Epidem. injungit, qvod semel repulsa, difficulter iterum expelli, & in pristinam sedem transferri qveant. Interim sub omni tali conamine ad Historiam, sed certe non nunqvam perversam, ad authoritates provocare, sit contra rationem & veram experientiã, adeoqve ad Pædantismum Medicũ omni jure tale qvicqvam referri debeat: an non talia in praxi medica sæpius eveniant, dijudicet prudens practicus; neqve illum canonem unqvam imitari ausim, *qvod in morbis præstet qvandoqve anceps remedium qvàm nullum*; qvalis praxis secundũ meum judicium ad crudiorem empiriam omnino pertinet: *æqvivoeè* enim curare, *turpis est calamitas*. Hæc sunt illa authoritatis scandala, qvæ imitari nullo modo æqvitas & honestas præcipit. Felicissima esset præ omni reliqva professione & studio Medicina, si singulæ authoritates in eadem uberrime obviæ, veritatem, dexteritatem & sinceritatẽ obsignarent & continerent, cum vero longe plurimis vicibus Medicus authoritatibus decipiatur, videat inde, qvantum commodum ex authoritatibus desumere poterit; unde illæ authorum diffusissimæ allegationes non raro ad Pædantismum medicum pertinent: qvilibet provocat ad experientiam, alius ad annales, tertius ad observationes, quartus ad arcana, & sic porro, neutrum horum authoritatis dextræ & dignæ specimem induit, sine rationali progressu & methodo; hæc mihi semper magnæ authoritatis specimen est experientia, qvæ hanc rationalem methodum ex vera Historia, non fictitia, non corrasa, sed simplici & genuina, commendat, involvit, infert & continet: qvæ vero illa sit rationabilis methodus, non crudis præjudiciis, non fictis principiis & speculationibus innixa, sed simplici, plano & ubiqve cohærente conspectu notabilis, hic loci specialius ex-

 plica-

plicare non fert occasio cum generalia tractemus; aliud adhuc addere placet de altera illa perversa authoritatis provocatione, qva male fida & ambigua Medicina errores suos alieno generali consensu adornat, & vel antiqvitatem methodi & remedii vel usum utriusqve hinc inde corradit, suis circumstantiis associat & pro sinistro illo effectu multiplicia accidentia aliunde enata producit & accusat, ut in Medicina profecto dolendum sit, quod non raro calamitosi & funesti effectus innocentibus accidentalibus causis adscribantur, & ipsa mala medicina inde excusetur, qvia vel unam aut alteram authoritatem allegare crude & rude didicit: suntcerte ejusmodi authoritates persæpe pessimi seductores, qvando iisdem præjudiciosa fiducia assignatur, & qvi perpetuis hinc inde translatis commentationibus methodos & media extollere soliti, neqve ejusdem methodi & medii constantiam, certitudinem securitatem experti, qvid pro quo laudant, commendant, & offerunt, alia vero remedia ex frivola lubidine qvandoqve sine ratione & experientia condemnant, diffamant & rejiciunt nihil aliud nisi hujusmodi fallaciis favent & prospiciunt: hæc sunt talia falsa medicorum idola, qvæ rejicit egregie & sollicite *Baglivius* in Praxi sua, & merentur ejusdem verba graphice ad contextum & connexionem delineari: *multi ob faustos eventus semel aut bis observatos ex aliqvo remedio, vel potius ob innatam qvandam proclivitatem tum laudandi, tum fingendi ad libitum medicamentorum vires, ita erga remedium aliqvod afficiuntur ut putent illud unum ad curandos qvosqve morbos summam vim ac veluti imperium obtinere: ideo videmus inter medicos uonnullus in morbis omnibus laudare lac & serum lactis, alios remedia spirituosa & volatilia: alios acida & alcalia alios purgantia & phlebotomias & sic deinceps, quamplura alia hujus generis particularia remedia unus qvisqve pro sui genio, & prout per initia juvenilis Praxeos, erga illa affectus fuerit, deprædicat: reliqva vero qvantum vis experta (non per unam art alteram sed centum*

&

& mille experientias) & utilia dimittit imprudenter & abjicit & in eodem capite dicit: *abusus accusandi fictam qvandam in morbis malignitatem, est simiola qvæ freqventer rudioribus medicis imponit: hi non examinatis diligenter causis morborum antecedentibus, symtomatis & statu pene integro morbi magnos hac ratione errores in methodo curativa committunt; per qvos qvidem cum morbis natura sua lenis graviter exarcebitur; statim exacerbationis illius causam malignitati nescio cui latenti velut opinor ab illis excogitatæ attribuunt.* Qvanti Pædantismi in *Theriaca* antiqvissimo usu & authoritate vigeant prudens practicus facilè perspicere poterit, & non desunt periti practici, qvi hoc authoritatis gravè præjudicium derideant & rejiciant. Ultimum qvod in hoc capite annectere lubet illud est, qvod senes medici ad authoritatem senectutis & praxeos suæ provocent, peritiam & rationalem methodum annis suæ ætati essentialem reddere conentur, qvasi junior Medicus cum prudentia & providentia veram rationalem methodum perite dextre & cum salute inseqvi & imitari nesciat, nescire possit, ut per longos annos qvandoqve sub magna audacia temeritate & crassa empiria, per varia experimenta & non nunqvam aliorum mortes & funestum exitum, methodum medendi addiscere necesse habeat, & deniqve per nudam empiriam in senectute sciat, hoc & illud, in illo aut alio morbo utile aut inutile esse, & licet ad lustra multa qvod adversarius mihi objicit aut ad canos aut rugas ego provocare haud qveam aut necesse habeam, certe praxin medicam non pertimesco, neqve per Dei gratiam unqvam solæcismum practicum commisi, sed laudo divinum illud auspicium, qvod veneror & perpetim humillime exoro; frivolæ interim authoritates me non stringunt, rationabilem methodum imitor, crudam empiriam & malam Hippocratis applicationem aversor; scio interim qvid in rationali experientia agendum & expectandũ sit unde Pædantismos in authoritate medica rejicio & elimino.

CAPUT III. De Opinionibus Medicis differit:

QUanta inter mortales sit speculandi lubido nullum forte latebit, cui innotescit qvod ad fœminas usqve & anilia colloqvia opinandi libertas in rebus exercitatam rationem postulantibus devenerit, ut non arduum sit, illud quotidianis exemplis confirmare, qvod mundus opinionibus magno numero regatur, turgeat & gaudeat; Imo tam famosum illud est speculationum Patrocinium, ut qvoad disciplinas & scientias gloriosum, celebre & dignum id ipsum æstimetur, qvod curiosis speculationibus adornatum & ingeniosis opinionibus refertum offertur. Cum vero & animæ & corpori tanta opinionum monstra non tam molesta sed noxia & periculosa sint, dum animus nudis phantasiis, posibilitatibus, figmentis, & imaginationibus occupatus hæret, & quid aut qvomodo fieri qvicqvam possit, abunde speculetur, nunqvam vero ad veritatis penetralia pervenit, si præconceptæ illæ figuræ & ideæ primatum tenent, & hinc inde commodo forte tempore, hora, occasione &c. ad aliqvot singularia phænomena & effectus protruduntur, ut inde ipsi animæ molestum & noxium, omnino sit, tantis icunculis, umbris, entibus rationis, & diversis tergiversationibus αὐτάρκειαν suam confirmare, omnibus vero modis in ipso opere & applicatione frustrari & deludi, sicuti opiniones quædam ejusmodi optime sibi stent & constent, nullibi vero applicari, confirmari aut ex opinionum Chimæra in certitudinis, veritatis, constantiæ, securitatis & sinceritatis atria deferri qveant: Qvid corpori speculationes nudæ & opiniones detrimenti concilient, testabitur innocens Medicina, qvæ talia phasmata aversatur, & iisdem delectari penitus refugit. Certe cum opinionibus morbis non medetur, neqve unqvam

qvam

qvam mederi poteſt; coram ægrotante opiniones ſuas de elementis, de corpore, de figura, de occultis qvalitatibus effundere tam abſurdum eſt, ac ſi qvisqvam æthiopicè cum iisdem colloqui aveat, modo ſanitatem recuperare ſciat & adjuvet: qvid vero hæ opiniones etiam adhuc curioſiores ad medicinam valeant, ille deprehendet, cui conſtat, qvod optimus theoreticus peſſimus ſit practicus, & ſatius eſt, ſecundum *Ciceronis* effatum, *mutum eſſe, qvam, qvod nemo intelligat, dicere.* Multum etiam putare, parum vero ſcire, eruditionis Symbolum haud eſt: paginas opinionibus onerare, hæc eſt illius, alia alterius opinio, veritatem non pollicetur: qvid qvod ſingulæ tales opiniones ſunt verum opprobrium & detrimentum totius Medicinæ. Ridiculum perqvam eſt ſpeculationes tantopere extollere, ut optima illa inde dijudicetur ſcientia & theoria, qvæ optime ſpeculativa eſt, unde illa opinionum monſtra, *inſomnia* & undiqve corraſa ſpectra theoriarum, exoriuntur: qvibus fidelem ſuum calculum, tanqvam telum authoritatis, ſpondet perverſa Philoſophiæ exercitatio, uſus, applicatio, provocatio & declamatio, ut haud cum iniqvitate *Cicero* exclamaverit: *Neſcio, qvomodo nihil tam abſurde dici poteſt, qvod non dicatur ab aliquo Philoſophorum.* At ne in generalioribus & exclamationibus tantum ſubſiſtam, perplacet illud, qvod *Helmontius* ſuo tempore elocutus eſt: *Naturæ cognitio ex eo duntaxat deſumitur, qvod actu & re ipſa eſt, qvippe quæ fictis nusquam meditationibus conſiſtit:* Cum aliorum ſordes detergere neqve officium ſit, neqve labor, illa tamen attingere placet, quæ ad luctum rupti pontis Medicinæ merito pertinent: an in eadem ejusmodi fictæ meditationes floreant, negare neque debeo neqve audeo, an ingens ſpeculationum turma & cohors in eadem valeat & reperiri queat, nemini ignotum erit, qvi cum dexteritate medicinæ proſpicit; utinam tam innocens ubiqve eſſet ars medica, ut illud vituperium recoqvi non debeat, qvod in medicina multum valeant

conje-

conjecturæ, aut paulo magis explicitè & clarius qvod ars medica sit conjecturalis: modo sibi aliqvantisper moderentur circa universalem hanc objurgationem & in modestis limitibus subsistant, qvod detur ars medica qvæ conjecturralis sit; possent provocare, ad illud *Hippocratis* qvod *maxime difficiles morbos opinio magis qvam ars judicet*, sed non omittendum qvod ille adjungit, διαφέρει δὲ ἐν αὐτέοισι πλεῖστον ἡ πείρη τῆς ἀπειρίης: *plurimum vero in iisdem imperitiæ peritia confert*, refert, præstat, interest, qvasi hanc peritiam in iisdem morbis denegare vereatur. Subjungit ad huc *in qvibus sane hoc præcipuum est, qvæ nam sit morborum causa* (non qvæ nam secundum illam opinionem videatur causa, sed qvæ nam illa positive sit) & *ex qvo principio ac veluti fonte corporis vitia oriantur: qui enim morbi causam cognoverit, is utiqve ex his qvæ in corpore insunt, adepta per contraria morborum cognitione facile poterit qvæ conferunt offerre Ipsa enim ars media à natura inest* Κατὰ φύσιν ἐστιν cum natura, secundum naturam propter naturam est. *In Lib. de Flatib.* Interim largo numero dantur opiniones contra Hippocraticam doctrinam etiam in simplicissimis morbis, ut non mirum, tot multiplicia speculationum & theoriarum specimina offendere, cum tales novitales non tam passim expectentur sed etiam flagitentur & expetantur: neqve multiplex theoria in opinionum simplicitate tantum subsistit, sed vel contraiantes speculatiões cõmiscentur, in unam massã conferciuntur & obtruduntur. inde illæ fictæ meditationes de *natura geometrico, statico mechanico, hydrtaulico pnevmatico-Physica*, corporea, ut consultius esset ex *ipsa re* & *actu* seu *effectibus* naturæ cognitionẽ comparare, qvã ex claudicantibus assimilationibus & frigidis comparationibus, longissimis tropis exornatis. Titubantis, infirmi & incerti animi documentum est illud, qvando loco solidæ, demonstrationis nudæ opiniones proferuntur. & magnam fallaciam qvid qvod su-

spectam

ſpectam integritatem illud elogium includit, puto hoc poſſe ita aut aliter explicari, puto hujus rei rationem hanc eſſe, puto hanc rem poſſe ita concipi: Recte ſæpe citatus ille Romanorum Philoſophus dicit, *ſapiens non putat, ſapiens non opinatur*, ille, qvæ profert, ſcit, & ad ſcientiam & experientiam provocat: turpis vero eſt illa ſcientia, quam multi inclamant, attamen qvæ non niſi rudis opinio exiſtit, & talis etiam manet. Superfluus interim in hoc negotio hominum animus eſt; effectibus enim naturæ ſeſe adſtringere & applicare, pro plebeja ſimplicitate perperam agnoſcitur & mancipium appellatur: latiſſimus eſt campus Philoſophandi aſſeritur, multitudo ſubſtantiarum invitat qvaſi philoſophum ad contemplationem & ſpeculationem, ipſe animus delectatur tam ingenioſa & curioſa inqviſitione & opinione, tam pulchra & egregia ſubſidia offerunt ſeſe in manuductionibus ingenioſiſſimorum Philoſophorum quanto acumine Carteſius, qvanta ἀκρίβεια Boylens, euge. qvam belle, formoſè concinnè ingenoſe & curioſe Phyſici Mechanici ſcribant & ediſſerant: apage talia opiniones ſunt & applicationes harum, fabulæ evadunt, quæ laudabiles naturæ actus plurimum invertunt, & contrario ordine explicant, adeoqve per figmenta tantum philoſophantur: tam ſuperfluus inqvam eſt animus humanuus, qvi dum alias diffuſionem amat, freqventius ad ſe redire neſcit, ſed tantopere res extra ſe conſtitutas contemplatur, & de iisdem ſpeculatur, ut tunc in latiſſimo campo qvidem ſubſiſtat, neſcius qvorſum via revertendi hæreat, adeoqve in tali ſpeculatione ſimpliciter obhæreſcat, & ſi demonſtratio deficit, à prima linea rurſus exordiendum eſſe reputet, ſic infinitum fere putat, & ſemper aliqvid novi,
inau-

inauditi, curiosi &c. profert, manet interim natura cum actibus suis sub magno silentio posita; corticem multi comedunt, nucleum rejiciunt. Hæ sunt illæ speculationes, qvæ citra necessitatem, commoditatem & utilitatem aliquam formantur & in qvibus phantasia magis quam judicium exercetur, qvid in rerum naturalium statu, ordine & progressu commode fieri qveat, sine rationabili demonstratione, an etiam fieri soleat, qvam facile, qvam jucunde, quam egregie, qvam leviter & breviter qvicqvid concipi qveat, & ut germani dicunt: Wie man sich eine Sache wohl einbilden könne/ imo non desunt tales rerum naturalium contemplatores, qvi consentiunt, quod conceptus tantum de hisce rebus formandus sit, qvasi demonstratione opus haud esset: Wann mann nur einen Begriff von der Sache habe/ ut tantum aliquid de re illa dixisse suffecerit; & hi ipsi quidem secundum peritiorum speculatorum declarationem ridiculi merito habentur. Omnium maxinè vero illi perversis opinionibus gaudent, qui in longum & latum postulata, speculationes, conceptus, figuras, phantasias & diversas inventiones simplici phantasia innitentes assumunt, credunt, venditant & si applicationem deniqve formare coguntur, non aliam nisi anilem illam & ludicram excusationem & defensionem proferunt, quod multa in rerum natura posita sint, quorum demonstratio adhuc lateat, quasi ita egregie suo scopo & negotio satisfecerint: Misera scientia, irrita speculatio, inutilis & perversa opinio sine necessitate, sine utilitate: Qvis non tales opiniones ad Pædantismi species referre bono jure poterit? an frigidæ ejusmodi speculationes ornamentum & commodum Medicinæ esse queant, absolute nego; quomodo vero proximũ medicinæ detrimentum pariant facile liquet: quod si enim fictitiæ meditationes de natura ad ejusmodi reales & veros actus & effectus applicantur, qvæ non turpis inde confusio repente enasci solet? quid petulans illud commentum de spiritibus, de nisu & renisu, de

motu

motu materiæ concreato, de neceſſitate materiæ, de tendentia materiæ, de proportionibus figurarum, de ætheris efficacia in corpore vivo, de atomis & volatilitate ſanguinis &c. qvid inqvam ſubſidii opiniones & ſpeculationes tales in medicinam collocaverint, in proximo capite latius exhibebo; interim hoc loco non poſſum aliter qvin ſingula ejusmodi inventa ad ſpeculationes illas referam, qvæ medicinam confundunt, irritam, ridiculam & odioſam reddunt, minime enim confert in medicina tantum aliqvid ſentire, aut qvid pro qvo dicere & aſſerere, novam tantum theoriam, quæ nihilominus ab omni tempore corrupti ſtatus Medicinæ deblaterata fuit, obtrudere, & ſingulas phantaſias pro novo invento declamare: qvid mirũ eſſe poteſt, tot contra dictiones, æqvivocationes, confuſiones & conjecturas in medicina reperiri, ubi tot ſpeculationes, opiniones, phantaſiæ, figmenta & commenta perpetuo immiſcentur, foventur & ſociantur: ita enim ſincera hiſtoria facti, ſeu actus naturæ pervertitur, & ars medica hiſce ſpeculationibus inhærens, optimum tempus frivolis tentaminibus conſumit, adeoqve in effectu & producto craſſiſſimis exemplis fruſtratur, ut pro erroris ejusmodi excuſatione ineptiſſimæ cauſæ, æqve per opiniones & ſpeculationes ludicras excogitatæ, allegentur, & proferantur: hoc eſt damnum illud quod ex ejusmodi opinionib9 deſultare facilè poteſt & freqventer etiã ſolet. Qvot opiniones ejusmodi in cõmuni Phyſica vigeant, illi ſciunt, qvi confitentur qvod communis Phyſica nulla ſit Phyſica, & qvod in Phyſica ſcilicet tali, plurima abſtruſa, obſcura & metaphyſica deprehendantur, qvi nexum nullum inveniunt, nedum rerum principia certo ſciunt, qvos habitus principiorum ad ſe invicem latet, qvi motum metaphyſicum qvid appellant, qvi concipi neqveat, i. e. qui craſſis ſenſibus & cum phantaſia ſecundum latitudinem, longitudinem & profunditatem ſecundũ diſpoſitionem partium juxta partes, ſecundum extenſionem Phyſicam comprehendi non poteſt, unde qvaſi ad ſacram acci-

 den-

dentium anchoram confugiendo, *motum corporum accidens non tamen accidentaliter ſemper contingens* veluti per ſtupendã eruditionem vocant & ſiſtunt, ſicuti crudus noſter adverſarius, qvi Phyſicam, & *naturam geometrico, phyſico, mathematico, ſtatico, mechanicam* qvidem inclamat, ſed certe cum vervecino ſuo judicio neqve capit, neqve intelligit, ſiquidem motus ſuo capiti accidens imperſcrutabile manet, modo ad calidum, frigidum, humidum ſiccum, ad facultatem concoctricem, expultricem &c provocaſſet, recentiorum enim Phyſica & mechanicorum egregia & curioſa inventa ſpiſſo ſuo judicio myſterium ſunt, ut merito ſtudioſa juventus ejusdem conatum in rebus Phyſico-mechanicis exhorreſcat, & ut inſons ovis *Lupi ululatum* fugiat; interim mala eſt illa Logica, qvod accidens non poſſit eſſe incorporeum, de qva re deinde plura. Hæc ſunt manifeſta Pædantiſmi ſpecimina, qvæ crudas & incoctas opiniones apertè comprehendunt, & ex qvibus non niſi craſſæ, imprudentes & qvandoqvè funeſtæ applicationes ad corpus humanum vivum prodeunt & enaſcuntur. An in Phyſiologia tales ſpeculationes inveniantur, non arduum eſt inqvirere & aſſerere; qvæ non commenta & opiniones de principio vitali circa φύσεως λόγου, valeant latius alibi in ſcriptis quibusdam explicavi; qvæ ſpeculationes de corpore non humano, ſed Phyſico (qvam primum enim anima corpori inexiſtit, cum corpore movet, tunc humanum audit corpus) vigeant, ille poterit deprehendere qui tantum rudimenta corporis ſeu principia & eorundem mixtionem & compoſitionem & actum generationis paulo modeſtius & accuratius inqvirit & intuetur, inde tot figuræ, tot appetitus, tot gravitates, tot tendentiæ, tot voluntates divinæ, tot niſus materiarum, tot ſeminia, tot ideæ metaphyſicæ, tot impulſus metaphyſici, tot impactiones, tot curſiones exaltationes &c: deſultant & dependent. Pathologia non vacat opinionibus, ſed rectius iisdem turget, unde tam diverſæ crudæ cruditatum explicationes, tantus nume-

numerus potentiarum & qvalitatum materiæ, ut vel fixa, vel volatilia, vel acida, vel acria, cauſtica, ſalina, rodentia, radentia, incraſſantia, coagulantia, refrigerantia, genus nervoſum debilitantia, corrumpentia, maligna, pontica, auſtera & ſexcenta alia ſupponantur; hæc vellicant, alia ſtimulant, modo irritant, alibi mordent, rodunt, corrodunt; aliqva ſpiritus morbidos reddunt, alia obſtructiones cauſantur, alia ſpiritus ſylveſtres excitant, alia nervos remolliunt & impetum ſpirituum refrænant, alia cruditates generant, inviſcant, ſubſtantiam balſamicam, æthercam, fluidam, nerveam & quæ hujus furfuris ingenti numero alia ſunt: hæc ſunt exemplaria ſpeculationum inutilium in theoriam Medicam multo & longo uſu translata: hæ ſunt illæ opiniones, qvæ veram artem medicam dehoneſtant, depravant, confundunt & impediunt: hæc ſunt illa ſcandala & offendicula, qvæ irritam reddunt veram Naturæ cognitionem, hæ ſunt fictæ illæ meditationes, qvæ non rem ipſam & actum naturæ, ſed phantaſma aliqvod & umbram contemplantur: & ſi ejusmodi opiniones tam freqventes, tam veræ, tam conſtantes & tam applicabiles eſſent ad ipſum effectum, ſicuti freqventes ſunt in ſpeculationibus & imaginationibus, miſerrima eſſet humanæ vitæ conditio, qvæ tamen tam ſummè miſera per Dei gratiam non eſt; unde ipſe actus naturæ, res ipſa, contrariatur ejusmodi fictis meditationibus, opinionibus & ſpeculationibus. An hæ ſpeculationes mereantur Medicæ appellari, non tantum dubito ſed plane nego, cum neque rem medicam, neqve uſum medicum unquam involvant, unde manent talia petulantis & inconſtantis animi phaſmata, ad deluſiones potius & perpetuas fruſtrationes, quam reales veros & ſalutares uſus, dicata & idonea: talis opinio malum uſum, talis theoria, malam, dubiam, inconſtantem, fruſtraneam & empiricam magis qvam rationalem praxin pollicetur: qvamvis enim eadem cum ratione fingente concipi qveant, ſunt interim nihil aliud niſi fictæ meditationes,

 qvæ

qvæ animum & corpus turbant, ſicuti ſupra demonſtravi, qvæ cum multa & ampla loqvacitate & perverſa Philologia adornantur, ſed qvæ ægrotanti vel parum vel nihil ſpei & ſolatii promittunt: conſentit mecum *Baglivius* dum edocet: *qvod ad ægrotantes ſpectat, hi ſane nihil ſua intereſſe putant, ſi morborum effectus & corporis animati principia rudioribus antiqvorum vocabulis* (nihil docentibus & nihil ſignificantibus qvo etiam recentiorum tabulæ pertinent) *appellaveris; dummodo veras curandi rationes perfecte noveris verbaqve tua tranſeant in facta* (non in auſus temerarios & experimenta) *atqve eventus reſpondeant promiſſis* (ne malignitatibus & venenis deinde ſeſe excuſare neceſſitas poſtulet, ſubjungit ille author: *nil magis à vera morborum cognitione mentem retrahit, qvam effrænis illa ſpeculandi, diſputandique licentia:* & alibi: *naturæ itaqve leges, ſi hominibus non verba dare, ſed reapſe eos juvare volumus, notare, meditari, obſervare, eisqve ad amuſſim obſeqvi ac ſervire opus eſt*; unde ruſtica, puerili plane criminatione & qvaſi per inſaniam adverſarius *furciferos* illos publico ſuo crudo ſcripto appellat, qvi talem naturæ moralitatem imitari ſtudent, qvam ipſe *Hippocrates* & Celeberrimi alii medici providi (qvò ex aliis *Sydenhamium* & *Balgivum* refero) prudentes & periti, non empirici & audaces tales ruſticorum medici, injungunt, commendant, & imitari imo eidem obſeqvi imperant. Qvam alienus vero animus à ſpeculationibus in rebus arduis & gravioribus i. e. vitam & integritatem humanam concernentibus eſſe debeat, ſuadet ipſa dignitas & realis æſtimatio veritatis pro theoria non tantum formanda, aut imaginanda, qvam demonſtranda, ſiſtenda, & cujusqve à nudis opinionibus non obſeſſi, neqve cum iisdem geſtientis oculis rationi & judicio exponenda: viget etenim tanta in rebus terrenis ſpeculandi luxuries & vaſtitas, ut in ſincerrima etiam ſimplicitate graviſſima ſophiſmata compoſitionis & diviſionis committi facile qveant; qvid ni tanto magis pandemia

erro-

errorum nutrix erit, libido illa ſpeculationis, qvando per intentionem opinio veritati facti vel præfertur, vel miſere & coactè eidem ad latus ponitur, ut tantum aliqvem rationis (ſive integer & conſtans ſive fraudulentus & ludicrus ſit) comitem habet: inde tot hyperbolicæ, catachreſticæ, tropicæ, metaphoricæ & plaſticæ explicationes medicinam irrepſerunt, ut modo ad proprium lubitum effictæ ejusmodi theoriæ multo numero & loco proſtent: hinc illæ lacrymæ lugentis & graviter violatæ artis medicæ, ut ipſa ars & experientia una patiantur vituperium & detrimentum non leve ſuſtineant & circumgerant. Plurima vero de qvibus dixi theoriæ ejusmodi ſcandala præbent, unde in therapiam mare errorum & damnorum irrumpit, ut diffuſiſſimus labor ſit, offendicula praxeos recenſere qvæ ex ſpeculationibus & opinionibꝰ emanãt: offerũt ſeſe aliqvot ſpecimina practica in *Diſp. mea Inaugurali de Erroribus Medicinæ practicæ*, non Medicorũ practicorum: qvæ explicatio qvanqvã nõ in uno aut altero ſed pluribꝰ bilem movit, ita ſtimulum mihi præbuit veritati diutius inſiſtere, qvæ non oſorem, niſi ignorantem habet, reperi & animadverti illos errores freqventer in foro practico ex corrupta Medicina emergentes, unde non inutile, neque temerarium illud conamen ſana mente præditus reputare poterit, qvod errores medicinæ practicæ tetigerim, & manu ducente *Domino D. Præſide* alios ab hoc præcipitio infortunii dehortari auſus fuerim. Interim me hominum invidiæ & odia non deterrent, homines ſunt: Deus veritatẽ vindicabit, eidemqve cuſtos & tutela erit: qvã turpis verò eorundem ſit declaratio qvi ſe hac mea diſſertatione inaugurai offenſos confeſſi ſunt, qvilibet prudens vir comprehendere poterit, qvos medicos unqvam offendere neqve curæ neqve cordi fuit ſed quam malam & perverſam medicinam tangere lubuit: neqve alienus in hac re eſſe voluit Pancraticus noſter medicinæ ſuæ defenſor & Promachus qvem æqve diſſertatio mea commovit ut futilem tantum chartam complere &

pagi-

paginas fabulis ornare, ſicut in toto reliqvo ſuo rabido conamine, ita hic etiam minime erubuerit, qvam puerilis vero ſit illa argumentatio, ſi *motum non incorporeum ſed ut accidens corporum, non tamen ſemper accidentaliter contingens conſideraverim, melius meæ conſcientiæ conſuluerim, qvam qvod ſecundum diſputationem meam inauguralem tantum nova errorum medicinæ practicæ ſpecimina dederim* & qvæ hujus furfuris alia ſunt: miſerrimus publicanus, qvi pontem logicum non majori ſollicitudine & prudentia qvam tali cuſtodire ſtudet: *logica dyſergo tali & fulminante miniſtro non indiget,* qvi nec ipſi periclitanti miniſtrari novit: qvod ſi enim hunc Syllogiſmum qvis qvam formaret, ſi unus aut alter aurum fulminans corporum accidens, non tamen ſemper accidentaliter ſalutariter contingens reputaſſet, conſcientiæ ſuæ melius conſuluiſſet, qvam qvod tot errorum medicinæ practicæ ſpecimina dediſſet: (abſtractivè hæc tantum affero, caveſis B, L. ne præter mentem meam applicationem formes) qvis neſcit ad hunc Syllogiſmum in longum & latum excipere, limitare, diſtinguere, defendere: ſed cum in hoc capite & ſubſeqventibus aliis theoretica ad huc tractem, non placet Pædantiſmos Medicinæ practicæ paulo preſſius attingere, cum unicum adhuc adjunctum caput hujus rei ſpecimina aliqvot ſubminiſtrabit. Qvam turpis præterea & proterva illa ſit aſſertio, qvod unicviqve integrum ſit, aliqvid credere, ſupponere, ſtatuere, opinari, & ſpeculari, qvaſi haud multum intereſſet, modo in re & effectu conveniant, id eſt: modo curare ſciant: utinã modo curare ſciant, tunc omnis reliqva ſpeculatio eſſet ſuperflua, & minus neceſſaria, perinde conſtat; aſt cum in hoc poſtulato & voto magnus adhuc ſubſit defectus, qvis non meliora affectare, expectare & eò omni ſtudio ãniti debet; qvi enim *naturæ leges, limites, fines, intentiones, vias, methodos, ordines, ſtudia, operas, & ſollicitudines* non attendit, ſed tantum vano fuco, & diverſis, irritis ſpeculationibus indulget, ille contra eſſentiam rei agit, ille *Hippocrati, Democrito, Galeno, Avincennæ, Sydenhamio, Baglivio, Helmontio*

Sen-

Sennerto & aliis magni nominis Medicis contrariatur, nec ad eosdem provocare bono jure poterit; qvi omnes & ſinguli admodum notanter ad hoſce naturæ reſpectus omnes peritos medicos ablegant: qvalis enim convenientia in effectu & re, ab ejusmodi dyſ. ergo expectari poterit, qvi crudis tantum & ſpiſſis ſuis ſpeculationibus inhæret, naturam negligit, phantaſias ſeqvitur, & proſeqvitur. Non deſunt tamen frigidæ objectiones, qvæ naturæ nobilitatem, æſtimationem, & dignitatem damnare & contemnere volunt, cujus rei crudum teſtimonium ex rudiore defenſione adverſarii noſtri allegare lubet, dum uno loco aſſerit, qvaſi à *nobis generaliora de natura proferantur, qvæ nulli ſpecialiori indicationi ſubſerviant*; qvam frigida vero hæc ſit objectio facilè liqvet, qvimodo anilem illam objurgationem vel leviter attendit; qvi enim *naturæ indolem, mores, conſilia, motus, ſucceſſus, limites, fines, ordines & methodos* deſcribit, ille non generaliora tractat, ſed maxime ſpecialia commendat, & ſpeciales vias naturæ indicat: videtur non tantum ſed conſtat manifeſte, qvod parum ille de natura intelligat, neqve illa, qvæ de eadem unquam ſcripta ſunt, digne & cum judicio perlegerit & attenderit, certe non generalia unice, ſed proximum greſſum ad ſpecialiorem explicationem ubiqve deprehendet: unde rejicio potius illam plebejam & improvidam objectionem, qvæ ſpecimen præcipitantiæ, & Pædantiſmi præbet, adeoqve iterum *Hieronymi* locum commendo: *Legant prius & poſtea deſpiciant, ne videantur non ex judicio, ſed ex odii præſumtione ignorata damnare* & cum *Galeni* verbis hoc caput claudo: *Qvæ enim prorſus ſunt abſurda ac ſtolida, contemni potius qvam convinci ſcriptis præſertim debent.* Conferatur *Hippocratis* locus *in lege*: δύο γὰρ ἐπιστήμη τὲ, καὶ δόξα: ὧν τὸ μὲν ἐπίστασθαι ποιέει. Τὸ τὲ ἀγνοεῖν, ἡ μὲν ὖν ἐπιστήμη ποιέει τὸ ἐπίστασθαι, ἡ τὲ δόξα τὸ ἀγνοεῖν: (qvod repetitò urgetur) τὰ τὲ ἱερὰ ἐόντα πρήγματα, ἱεροῖσιν ἀνθρώποισι δείκνυτε. βεβήλοισι τὲ ὐ θέμις, πρὶν ἢ τελεσθῶσιν ὀργίοισιν (emphaticum hoc eſt nomen & ſecundum *Hippocratis* mentem myſteria includit) ἐπιστήμης.

CAPUT V. Abusum Physices & Anatomiæ ad Pædantismum refert.

QUis Medicorum nescit illud *Hippocratis* effatum qvasi ex oraculi mysterio recitare: *Conare ut Physicus evadas; Principium sermonis in arte Medica est natura corporis: Medicus enim Philosophus Deo est similis:* sed alibi in Libr. *de Prisca Medicina dicit: at vero medici qvidam & Sophistæ fieri non posse dicunt, ut qvis artem medicam cognoscat, nisi idem noverit qvid sit homo, & qvænam ejus prima generatio & compositio: eqvidem ab his de natura vel dicta vel scripta sunt, non tam ad artem medicam, qvam ad pictoriam spectare existimo: at manifestam naturæ cognitionem non aliunde qvam ex arte Medica haberi censeo: qvam is facile percipiet, qvi universam artem Medicam probe complexus fuerit.* Aureus hic ultimus est locus, & bene interpretandus & modeste applicandus; neqve reliqvi contemnendi sunt, modo ad mentem *Hippocratis* debitè & convenienter explicentur. Qvilibet certè hæc monita in suam rem trahit, aliqvi diversimode explicant, torqvent, distorqvent, & convertunt, & ubiqve ad *Hippocratem* provocant, ejusdemq; authoritatem, tanqvam divinum clypeum protrahunt & exponunt: & maneat sibi salva hæc dignitas & authoritas, ego eandem in justis causis non violabo, neqve aliis opiniones suas invidere audeo, trahit sua qvemqve voluptas; interim placet aliqva circa verum *Hippocratis* sensum & hujus usum monere. Qvod si senex qvasi per imperium injungit πειρῶ φυσικὸς εἶναι, tunc generaliter naturæ cognitionem summo studio commendat; tam varia enim est Hippocrati φύσεως acceptio sicuti supra diximus, ut modo animam per naturam, & illam rationalem, modo vero corpus pro natura sumat, & illas facultates ad corpus pertinentes; tam

exqvi-

exqvifita vero etiam ejusdem difcretio eft, ut qvando de una harum loqvitur, eandem diftincte exprimat, hinc ipfam animam & indolem κατ᾽ ἐξοχὴν naturam appellat, reliqvam vero corporis conftitutionem & ejusdem affectiones expreffe naturam corporis indigitat: qvi *Hippocratem* legit & intellexit, non poftulat, ut per plures deductiones hoc ipfum ex *Hippocrate* confirmem, cum prudenti lectori illud abunde notum fit, & effe debeat; conferatur tamen *Hippocratis Lex* & *Lib. de natura pueri, de natura humana*, ubi hanc difcretionem paffim invenire licet. Cum vero in nobilioribus medicinæ partibus ad illam naturam κατ᾽ ἐξοχὴν magis provocat, qvorfum erit illud: πειρῶ φυσικὸς εἶναι principalius & nobilius referendum, an ad animã, an ad corpus, ut φυσικὸς primario φύσεως, an φύσεως τȣ̃ σώματος, Phyficus effe debeat qvã in *Lib. de natura humana* optime explicat, neq; eidẽ talia prædicata jungit, qvalia naturæ per excellentiam dictæ tribuit. Hoc qvidem nõ infero, qvod cognitionẽ naturæ corporis nõ injunxerit, fed illud tantum urgeo, cui magis profpicere *Hippocrates* jufferit: deinde fi paulo preffius textus Hippocratis urgetur, erunt etiam fubinde aliqva notanda: dicit *in Libr. de fterilitate:* πειρῶ φυσικὸς εἶναι πρὸς τȣ̃ ἀνθρώπȣ τὴν ἕξιν καὶ τὴν ἰσχὺν ὁρῶν. *Conare, ut te naturalem medicum exhibeas ad hominis habitum & vires refpiciendo*, ficut *Fœfius* vertit: ubi excipere licet, qvod magis ad φύσιν τȣ̃ σώματος refpexerit, cum alibi naturam & habitum maxime diftinguat, ut illud liqvet ex *Lib. de ratione vict. in morb. acut.* ubi dicit: *iftud igitur evidenti eft argumento, qvod eorum qvæ circa naturam* περὶ τὰς φυσίας ἡμῶν, καὶ &, non vel, καὶ τὸν ἑξίας *& habitum noftrum contingunt maximæ mutationes morbos potiffimum pariant.* Qvi textus nobis nihil derogat, fed ad fpecialiora nos deducit, non generalia, fed maxime fpecialiora, qvomodo illa φύσις refpectu fui habitus & virium fuarum, activitatis, promtitudinis, & conftantiæ fuæ Phyficum conceptum non tantum, fed fcientiam talem Phyficam præbere debeat; qvid *Hippocrati*

ἕξις audiat, non latet, interpretes verterunt, *habitus*, qvem *Galenus* per *firmitatem*, *soliditatem*, corporis explicat, eidemqve opponit χέσιν, qvo referunt humores & venas: neqve hæc ἕξις scientiam principiorum elementarium, ætheris, particularum, figuratarum infert, sed structuram & compositionem partium, de hac dicit *Hippocrates* στοιχεῖα δέ σοι ταῦτά ἐστιν *Hæc tibi sunt velut elementa.* Unde hic habitus sensu Hippocratico infert *constitutionem partium solidarum ad se invicem, relationem ad se invicem,* minime qvomodo una pars alteram pellat, trudat, stimulet, vellicet, hæc enim sunt insomnia contra Hippocratis verum genuinum sensum excogitata. Sed non subsistit tantum Senex Medicus in hoc habitu, sed quasi per aliqvam necessitatem jungit vires καὶ τὴν ἰσχὺν, nō καὶ τῆς ἕξιος ἰσχὺν, non vires & potentias ta tes insitas habitui corporis innatas, concreatas, non elaterem corporis, sed sub discretione & vires simpliciter per se, easdem indicando: hæc non confundit sicuti recentiorum mos est, sed cum copula exprimit, ut hominis habitum & vires respiciat: Sub hac simplici explicatione minime præjudiciosa, sed ad ipsa verba Hippocratis collineante qvid inferendum sit, facile apparet: inter alia enim Hippocrates res suas gessit cum temerariis medicis, empiricis, qvi *pharmaca, purgationes* & diversa *eductionis genera indiscretim* adhibuerunt, neqve ad *habitum* neqve ad *vires* respiciendo, an corpus sit tenerum, infirmum, an vero magis firmum, solidum & secundum simplicem æstimationem sanum, unde necessarium maxime fuit, tales audaces, qvos fortuna adjuvare debuerat à simplicissimis κατ' ἄνθρωπον ad altiora erudire, tunc subjungit Hippocrates: *verum his in considerationem adhibitis, totius corporis & capitis purgationes.* φαρμακείησι *medicationes*, *uteri fotus*, & *subdititiorum appositiones ad usum accommodato.* Hæc est illa Hippocratica habitus & virium consideratio, in qva medicus Physicus esse debet, non tantum in habitus & structuræ inqvisitione, sed simul in virium, & energiæ-

mo-

movendi exploratione,an etiã talis energia præſto ſit, qvalis habitus,ſi ſimpliciter ad habitum provocaſſet, non opus fuiſſet vires allegare, aut ſi vires conſiſterẽt in illa fibrarum, ſolidarum, firmarũ, robuſtiorum conſtitutione & diſpoſitione, ſuperfluum & pleonaſmus fuiſſet vires adhuc notanter allegare, unde vires longe aliam ſignificationem, qvam ſimplicem habitum ſecundum Hippocratem habent. Qui talem Phyſicam in Medicina attendit, optimus eſt Medicus, qvi vero hunc habitum & vires contra divi ſenis mentem ad ſpiritum aut ætheris impulſum, ad elaterem partium ſolidarum, ad figuras pororum & particularum, ad tendentias & appetitus, ad gravitates ponderum extendit; ille non conatur naturalis, verus, Hippocraticus Medicus fieri, ſed ſua inſomnia ſeqvitur, adeoqve totum hunc textum peſſime & inverſe in ſuam rem trahit. Cum hic textus maximum fundamentum Phyſicis medicis præbeat, dignum & utile reputavi, verum Hippocratis ſenſum inſeqvi & declarare: neqve alter locus, qvod *principium ſermonis in arte Medica ſit natura corporis*, infert ſcientiam Phyſicæ corpuſcularis, Carteſianæ, mechanicæ, etc. ſed ſimplicioris æqve intellectus eſt & explicationis: qvalẽ naturam corporis Hippocrates intelligat, non ignotum, cum mixtionem ex qvatuor ſummis elementaribus qvalitatibus, calidi, frigidi, humidi, ſicci, ſeu temperiem per eandem annotaverit, cujus rei *Fœſius* in annotationibus ſuis pleniorem explicationem exhibebit; hæc interim *natura corporis* nihil aliud eſt, qvam primo mixtio, & deinde temperamentum corporis: adeoqve recte *Hippocrates* dicit, qvod principinm ſermonis in arte medica ſit cognitio, inquiſitio integritatis ratione mixtionis, ratione temperiei ſeu temperamenti: hæc ſi ſibi conſtant, ars medica non reqviritur, qvod ſi vero mixtioni & temperiei periculum aliquod imminet, ibi ars medica principium ſortitur: ut adeoqve neqve inde præjudicium aliqvod emanet; ſed hoc iterum non dicit aut intelligit *Hippocrates*, qvod ſprincipium

ſermonis in arte medica ſit natura corporis, i. e. fibræ motrices, ſtimulationes & irritationes fibrarum, impulſus fluidi, nervei ætherei &c: ut minime ex tali Hippocratis effato aliqua corpuſcularis vel mechanica Phyſica ſcientia ad artem medicam maximæ neceſſaria venditari qveat: interim adhuc cupidus expecto confirmationem, qvod Hippocrates per hanc naturam corporis, mechaniſmum & Phyſicam corpuſcularem abſolutè intellexerit, qvod hactenus in Hippocrate invenire non licuit, niſi hæc talis ſcientia pro ornamento Philoſophiæ Hippocraticæ obtrvdi velit, qvæ quidem ad Phyſicam communem pertinet, ſed cum qua principium ſermonis in arte medica conſtitui non poteſt. Hæc præmittere volui pro reliqva planiore deductione propoſiti mei in hoc capite, ne authoritates præcipitium nobis errorum conſtituant; e contra verus *Hippocratis* intellectus fundamentum & fulcimentum in reliqva progreſſione largiatur & exhibeat. Qvid itaqve de Phyſica ad artem medicam referenda & pertinente non tam ſentiendum ſed explicandum ſit, brevibus demonſtrabo. Qvis vero medicorum neſcit hodienum, qvaſi per divinum & ſacrum zelum exclamare, qvod *nullus Medicus ſine Phyſica eſſe qveat; qvod Phyſica ſit principaliſſimum Medicinæ fundamentum, quod qui bonus Phyſicus eſt, bonus etiam Medicus evadat, quod Phyſica medietatem ſtudii Medici conſtituat, qvod Phyſica experimentalis ſecreta præbeat digniſſima, in medicinam transferenda,* & qvæ hujus exclamationis alia ſunt; nondum ſane liqvet, qvomodo hæc ſibi invicem cohæreant, qvod *Phyſica,* uti quidem communiter traditur, ſit fundamentum Medicinæ, qvæ tamen imperfecta, incompleta & multis vicibus obſcura appellatur, imo, uti qvidam preſſius loqvuntur & ſimplicius, quod recta Phyſica non potiamur: non rarum eſt tales qverelas audire, ſed qvotidianum; quid quod incomprehenſibile eſt illud, qvod aſſeritur, multa eſſe in Phyſica, qvorum tamen demonſtratio non innoteſcit, quæ eadem vero ut

demon-

demonſtratione maxime indiga ad Medicinam transferuntur, & ex ludicris ejusmodi poſtulatis frivola applicatio formatur: hinc abſurdus eſt in rebus medicis, qvando demonſtratio affectatur, exclamare, hoc eſt meum poſtulatum, ex quo probo hoc, probo illud, ſed ſi ad poſtulatorum integritatem tranſitus fit & inqviritur, claudicant illa poſtulata magno numero & inania ac inertia non nunqvam deprehenduntur; ſi qvis vero de veritate poſtulatorum dubitat, ille dementiæ & audaciæ reus judicatur, ô miſera Philoſophia! vera Phyſica non cum poſtulatis hinc inde collatis, ſed cum rebus veræ rationi conformibus & ex vera ratione profluentibus, qvid qvod legitimis comparationibus, deductionibus & demonſtrationibus abſolvitur: unde magnum commodum eſt poſtulatis non ita temerè credere, quibus freqventer magna σπερμολογία & fallacia ineſt. Non alia fata principia Phyſica communia gerunt, qvam æqualia: ponuntur, conſtituuntur, & ſupponuntur principia qvandoqve non ex re, ſed ex imaginatione: unde principiis Phyſicis indifferenter fidem jungere, periculoſiſſimum eſt: & petulans hoc loco illa eſt excuſatio: contra negantem principia non eſt diſputandum: abſurda principia pariunt abſurdam opinionem & ſpeculationes tantum, de quibus ſupra locutus ſum, & qvi talia pro veris aſſumit, ſui pædantiſmi author & faber eſt. Ex utraqve parte pædantiſmus oritur, principia obtrudere, & principia ita fideliter aſſumere, qvo etiam pertinet illa imprudens & improvida objurgatio & aggreſſio, quando principiorum ſinceritas in dubium vocatur. Me certe principia non ſtringunt, ſcio interim per Dei gratiam qvid ſint & qualia ſint communiora principia, & qualia eſſe debeant: Cogitationes hominum non ſunt principia, ſed larvæ principiorum, quæ qvandoqve plurimum occultant integritatem principiorum, & reliqvam progreſſionem dehoneſtant, & impediunt. Qvantum damni hactenus in reliquam veritatis inqviſitionem intro-

introduxerit, illa temeraria principiorum explicatio & applicatio, non unus aut alter, sed plures Philosophiæ periti sciunt: hinc illa Philosophiæ scandala & offendicula, qvando principia & postulata magis valent qvam res, effectus & phænomena Physica. Et cui non provido scientiarum scrutatori innotescere poterit, qvod eadem principia crassis certe connectendi methodis diversimode passim torqueantur & contorqveantur, ut non secundum necessitatem & utilitatem veritatis, sed captum & beneplacitum hominum instruantur, & multiformis Physica theoria inde excogitetur, excoqvatur & obtrudatur, hinc novæ hypotheses tam venales sunt, sicut novus mos in vestitu instruendo novis inventionibus actionibus & applausibus adornari solet; & si modo semper novæ audiant, adeoqve etiam meliores prioribus, ne antiquæ fabulæ garriantur, & semper metaphysica proponantur; hæ vero sunt illæ spuriæ scientiæ Physicæ, qvæ totam reliqvam sapientiam veram contaminant & obscurant: qvid inde aliud seqvi debet nisi magma confusionum, armamentarium contradictionum & officina opinionum? hinc effectus naturales tam proterve pervertuntur, ut in hac hora huic, in alia alteri causæ assignentur, & in fine deficiat memoria ejus, qvod dictum est, ut hinc semper aliqvid novi raro aliqvid boni profluat, hæc Physica, hæc Physica utilis, hæc Physica ad medicinã utilis esse debet! qvis tredet? CREDAT *Judæus Apella*, Quis vero exin me ejus audaciæ insimulare poterit, qvasi Physicam scientiam ad medicinam plane inutilem declarare haud verear, qvam tanti viri tanqvam panopliam, pro certissima & infallibili sapientia medica æstimarunt. Ego sane cum illis, quos supra allegare placuit, æque doleo, qvod hæc Physica communis maxime imperfecta, manca, & multis hiatibus referta sit: sed quis me constituit Prætorem pro Physica offendenda? si medici conamen esse debet, ut *Physicus* evadat, ergo certe non ultimus ero bo-

nam,

nam, certam, & utilem ſcientiam naturalem anhelare, inqvirere & exhibere: Docui hactenus *peculiari Collegio* Phyſicam, qvæ ad medicinam utilis maxime eſt, neque Phyſicam à Medicina ſeparo aut proterve proſcribo, ſed eandem, ſi modo bona ſit, cum illa ſollicite conjungo: explicavi hanc doctrinam Phyſicam per annuum prope ſpatium, in qua theoriam de Phyſi, de motu, & materia unice explanavi, non metaphyſico ordine, ſed demonſtrationibus rationalibus, ubiqve effectibus naturalibus junctis & perpetim conjunctis: abſurdum eſt audire, qvod Phyſica tantum tractet doctrinam Materiæ & Motus, qvi motus in explicatione non alius niſi materialis exponitur & declaratur, tanqvam certa vis, tendentia, δύναμις, potentia, habitus materiæ concreatus, innatus, inexiſtens, qvem per impulſum, niſum, ſtimulum &c. miſere per omnia Phyſices capita delatum communiter deprehendo. Si hanc Phyſicam medicinæ jungere, aut medicinam per hanc Phyſicam explicare debeam, avidus foveam, ut nunqvam hanc Phyſicam audiviſſem & vidiſſem: interim ſcio, hanc Metaphyſicam Phyſicam, & ſcio qvid commodi medicinæ largiatur, & qvando ars medica cum illa Phyſica, firma, certa, & ſalutaris futura, ſcilicet ad *Calendas græcas.* Hæc interim mea eſt perpetua doctrina, qvod Phyſica, qvæ Phyſin non explicat, qvæ materiæ intellectum & motum connatum accenſet, quæ motum materialem judicat, actiones i. e. actus ad certos, exqviſitos, utiles, neceſſarios & convenientes effectus & producta deductos, materiæ & ejusdem impulſui, ſitui, poſitui & configurationi adſcribit, qvæ hisce effectibus præter reliqvam confuſionem tam frivole voluntatem divinam ſecundum ejusmodi temerariam opinionem, multipliciter reformatã im̃iſcet &c Qvod, inqvam, talis Phyſica maxime Medicinæ opprobrium, ſcandalum, & nocumentum ſit. Sed ut paulo clarius mentẽ meam explicẽ, ne in generalioribus tantũ ſubſiſtam, ſpecialiora proferre lubet, Odioſum nomẽ & terrificum reputatur,

qvando

qvando *Natura* allegatur : quid ita? *Vivat Materia*! Materia anterius, materia posterius: hæc manibus palpari potest: *Natura ad Metaphysicam pertinet*; qvid ita? quia non in latum, longum & profundum extendi potest: quia non in conceptum Physicum cadit; Ergone Natura nihil erit: Natura & anima idem sunt ac nihil. *O miserabilis Philosophia*! Conare ut Physicus evadas: qvam primum Materia primatum in Physica obtinuit, ab illo tempore ars Medica ægrotare cœpit. Cur Physica audit, quia Materiam explicat? minime, sed quia de Natura edocet, & de ejusdem motibus, effectibus & productis edisserit: unde ad ipsum fontem descendere necessitas & utilitas postulat: Natura est principium movens per se, & cum motibus suis dirigens circumstantias & accidentia rerum, ut effectus & productum sub sua actione perpetua & simul stante directione eveniat. Hic effectus est vel fortuitus, vel ita dispositus, ordinatus & directus: ille magis in macrocosmo, hic in microcosmo, obvenit. Et ita Physica ἀπὸ τῆς φύσεως derivatur, non à materia, & ita Natura & materia distinctum quid comprehendunt & significant, neqve motus est natura qvatenus cum materia coalescit, hæc enim explicatio repugnat antiquissimæ sententiæ de Natura: ubi recentiores Physici contra sensum antiquitatis & primæ inventionis seu denunciationis loqvuntur; de qua re superius egimus: interim hoc nullum præjudicium præbet, qvod veteres etiam de natura corporis philosophati fuerint: hæc frivola naturæ extensio sinceritati primitivæ naturæ explicationis nihil derogat: & si vel nullum testimonium ex antiquitate proferre liceat, quis damnabit veram explicationem, qvæ neqve antiqvitati, neque personis, neque authoritatibus vinculata est. Petulans enim illa & ridicula est theoria, quæ tantum viris, hominibus & authoritatibus innititur. Veritas non ex hominibus, sed ex rebus, in Physica inter homines obviis, oritur: nihilominus hactenus vera naturæ interpretatio sub alta nocte sepulta pro-

procubuit, ubi tot materialibus conceptibus confusa, & tot tricis & circis obnubilata hæsit. Veteres non imperite inter *naturam naturantem* & *naturam naturatam* distinxerunt, illum *Deum*, hanc *animam* appellarunt: sed qvis docuit Philosophos, ut animam mundi, spiritum mundi, tot diversas animas & separatas & distinctas supponant; Unus est Deus, una est anima, ratione essentiæ nihil differens: qvid nam igitur erit Physica, an doctrina de Deo, an de anima: neutrum horum, non exiguus numerus Physicorum respondebit. De Deo Theologia tractat: de anima Physica dicere nihil potest, nisi de ejusdem ministris, scilicet de spiritibus: ergo Materia & Motus Physicam constituunt. Cur vero materia ante motum? an illa prior motu fuit? neutiqvam! an motus nunqvam ante materiam? Omnino: an motus ille ante materiam & motus cum materia erunt unum idemque? omnimodo; nihil enim differunt qvoad essentiam, sed tantum qvoad accidens! datur enim motus sine materia, qvi materiæ demum supervenit: hujusmodi motus celeberrimum & perfectissimum specimen est illud divinum *fiat*, non metaphysicum, sed omnipotens, motus translatio in materiam & cum illo motu separatio & compositio celerrima, & perfectissima, exqvisitissima: hic motus in materiam translatus, non denotat aliqvam concreationem; sed tantum com̄unicationem, qvi perpetuo ex materia in materiam transit, qvem una materia perdit, altera accipit, & qvi in sua essentia incorruptibilis est, & annihilari, nisi per divinam potentiam, Physica simplici potentia, & ordine nunqvam potest: hic motus agnoscit primum movens & primam originem, qvi fons sub nomine Naturæ naturantis venit: & hoc nos edocet Sacra Scriptura seu revelatio & lumen naturæ, seu simplicior ratio in naturalibus: hæc minime atheismum sapiunt. Hic motus in physico ordine cum materia est perpetuus, sed non in omni materia est perennis, perpetuus & minime nunqvam transitorius: transit enim de ma-
 teria

teria ad materiam; in materia nunqvam latitat qvietus, ficut communiter fabulæ Phyficæ ferunt, qvæ garriunt, qvod unicuiqve materiæ inexiftat certa fpecies motus, qvæ tantum impulfu egeat: qvalis motus in qviete, qvalis motus qvi non tranfeat: hæc funt Metaphyfica: motum in qviete radicare, motum & qvietem confundere: motum concreatum fed non moventem fupponere, motum in potentia ad Phyficalia aut ad corpora applicare & theorias inde formare: qvis hæc non contradictoria & ab omni liberiore mente aliena reputabit? & hic profectò peffime excufat, qvod licet modum hujus concreationis nefciamus, falva tamen fit fuppofitio, qvod motus in materiam fit per concreationem immiffus: craffa hæc eft petitio principii: ubi illud ludicrum poftulatum cum trivola opinione & nuda fpeculatione adornatur: qvæ enim ratio urget motum talem concreatum fupponere, aut qvod commodum & utilitas emergit ex hoc fuppofito; qvæ demonftratio inde expectanda, nifi gravis confufio & titubatio: fed qvis non videt qvotidianis exemplis, qvod motus de corpore in corpus tranfeat, qvod unum corpus motum amittat, alterum accipiat: & qvi non frivola contra dicendi libidine & ex nudis præjudiciis regerere geftit, ille cum ratione afferere non poteft, qvod unus motus alterum inhærentem concreatum ftimulet, impellat, provocet, ut fuum corpus movere incipiat: ubi iterum hæc craffa petitio principii emanat, qvod motus qvietus ftimulatus & provocatus fuerit per alterum motum moventem & admotum; qvæ non craffiffimæ hic deprehenduntur contradictiones; ut cum ejusmodi theoriis diem & tempus perdere, contra fanam rationem omnino fit. Ut vero ad noftrum fcopum redeamus, Phyfica nihil aliud eft qvam contemplatio Dei in rebus naturalibus; ad qvas res naturales & animam referimus: adeoqve nihil nifi naturam naturantem & naturam naturatam in ordine naturali contemplamur in Phyfica: & hoc qvidem principaliffime, unde

de

de proxime post naturam, motus considerare interest, cum motus sit ante materiam, fuerit ante materiam, & sit immediatus naturæ actus, qvis itaqve dubitabit, qvod illud ἄῤῥητον sit, materiam ante motum, motum cum materia indifferenter explicare, confundere, motum materiæ proprium & essentialem assignare, qvi tamen simplicissimis, integerrimis & sinceris sensibus perpetuo transitorius occurrit; qvod si vero ad fundamentum rationis, unde motum materiæ insitum & conatum esse constat, respicere perplacet, erit illud, incondita illa explicatio, qvam supra taxavimus, non posse aliter neqve facilius aliter totum negotium concipi: Man könne sich diese Sache nicht leichter concipiren. O malus conceptus! cum longe simplicior subsit demonstratio, non tantum ratio sed etiam demonstrativa explicatio, qva illud postulatum & falsum principium infringitur & annullatur; non enim sufficit aut præstat, facile sibi qvicqvam præfigurare aut concipere; qvanti enim errores progerminent ex ejusmodi falso principio in Medicinam, facilioris deductionis erit, inde enim fluit πρῶτον ψεῦδος, qvod corpus humanum sit αὐτοmaticum, qvod ille motus corpori humano sit innatus ἔμφυτος, inhærens, & qvod omnes illi salutares effectus à motu materiæ dependeant: inde fluit illud absurdum Porisma, qvod motus mechanicus ad certum finem, ad exqvisitam determinationem, ad actiones moralibus intentionibus conformes, non tam concurrat, sed unicè sufficiat; an non hæc specimina sint crassæ confusionis ex malo principio enascentia, qvilibet prudens Philosophus agnoscere poterit. Certe materia nihil movit propriomotu, à prima creatione, neqve qvicqvam movebit propriomotu ad ultimum naturalium rerum decursum & exitum usq; Et hoc ipsum maximum sanioris & utilis Physicæ fundamentum est, ut illa justa & conveniens discretio nō fingatur sed assumatur inter motum & materiā, & ut omnium primo Physicꝰ veram cognitionē motuum habeat, recuperet & eandē etiam constanter servet; turpiter enim illi se prostituunt, qvi hanc execrandam argumentationē formant,

 qvia

qvia anima & motus qvoad essentiam definiri neqveant qvid sint E. nihil sunt; illi metaphysica aut rectius ἀλλότρια Physica loqvuntur & risui saniore Physica instructorũ se se feliciter & simpliter exponunt, modo discant prius ejusmodi obscuri homines distingvere & intelligere, non entia, entia rationis, & entia realia: alias non conantur Philosophi Hippocratici, & Physici veri evadere; sed tantum commentorum & figmentorum amici & patroni, qvi decipiuntur & decipiunt. Tam orthodoxus nostris Physicis terminus ἀυτομάτως existit, ut qvicqvid de corpore prædicent, semper automaticam machinam corporis declament & interpretentur, & de tali insito motu principalius philosophari inchoent; hæ sunt illæ pulchræ raritates, die schöne Spiele-Werck/ qvod in corpore sit talis insita vis, δύναμις (reverendum nomen) qvæ semper moveat; assumat qvidem qvandoqve ab extra introrsum motus cum materia ætherea, elastica, subtilissima, tenerrima, celerrima, volatili &c. &c. &c. sed semper agat, semper moveat, activo motu, activa vi & potentia, facultate, qvalitate, habitu &c. &c. &c: hæc vero sunt Metaphysica &c: obscura &c: Umbræ, phasmata, phantasiæ, conceptus gratuiti &c: Utitur passim in scriptis suis *Hippocrates* hoc termino ἀυτομάτως, sed sub longe alio sensu & applicatione, qvam fugitivi & inconstantes Physici, & qvidem sub spontanea naturæ activitate, consilio, providentia, & gubernatione, non à materia morbifica aut Medici opitulatione. In tali sensu *Hippocratico* præter reliqvos antiqvos comentatores *Galenus* mecum consentit, qvi in *Comment. ad aphor. 15 & 17 Sect. 6.* dicit ἀπὸ ἀυτομάτȣ *fieri dicuntur, qvæ citra manifestam causam,* h. e. *Medici opem contingunt, sed naturæ providentia, ut in his qvæ recte à natura geruntur* ἀυτόματα ῥίγεα *spontanei rigores sunt.* Lubet adhuc ex *Oeconomia Hippocratis Fœsiana* jungere illud, qvod ex *Galeno* allegatur: *sponte e corpore vacuari dicimus, qvicunqve citra omnem Medici opem excernuntur, idqve interdum, natura corpus nostrum gubernante, ea expurgante; interdum*

terdum etiam, ex irritamento aliqvo, aut qvia à vasis contineri neqveant (hæc ultima ad corpus automaticum referre non licet, cum formalitas irritamenti non cadat in corporeum qvicqvam) & alibi dicit: *Ita* αὐτομάτως *datur, qvod sponte fit & certo consilio* &c. ejusmodi prædicata vero *gubernationis, providentiæ* & *consilii* corpori attribuere, contra sanam rationem esset, cum per nullam rationem (nisi per ludicrum qvempiam conceptum) tam à priori qvam in ipso effectus & à posteriori deduci & demonstrari qveat, qvod providentia, directio, gubernatio, & consilium in materiam cadat, aut materiæ largita sit de qva restatim plura: unde Hippocrates haud talia αὐτόματα qvalia recentioribus opinionibus communia sunt, intellexit; sed illam αὐτοκρατίαν naturæ cum hac αὐτοματica efficacia respexit: possem qvidem ex diversa conciliatione textuum Hippocraticorum hæc latius proseqvi & confirmare, sed sufficiant hæc pro solida & fundamentali explicatione Tetigi huc usq; aliqvot errores & erroneas dependẽtias circa principia & postulata Physica, qvæ artem medicã impediunt & pervertunt Sed qvid dicamus de illis rebus propius medicinã spectantibus? Objectum artis medicæ & finis ejusdem est vitæ & sanitatis conservatio & restitutio; subjectum vero corpus nõ nudum Physicum, sed ita dictum vivum sentiens, i. e. corpus, in qvo aliqvid inest, qvod vitam & sensum administrat: vita enim si actus directꝰ & proportionatꝰ est, ad qvam conseqvendã omnia proportionatè, constanter, directè, sufficienter, tẽpestive & æqvaliter tendere & collineare debent, nõ à corpore administratur, qvod millenis periculis per omnia mom ẽta objectum est, si negotium ipsum paulo exqvisitius perlustrabimꝰ, ut tantæ mutationes äeris, tam momẽtanea motuum variatorum accessiones illam machinam mechanicam per omnia momenta alterare, mutare & invertere physicè debeant, debeant, inqvam, qvia dispositio corporis animalis ad hanc alterationem subeundam præ omni reliqva Physica substantia tota qv dicata & data est, ut adeoqve inevitabilis effectus alterationis momenta

mentaneus esse debeat: si enim barometrum sub diversa mutatione caloris, frigoris, & alius agitationis cito, breviter & facile mutatur, qvidni tanto magis, tanto facilius, tanto certius, tanto citius corpus mechanicum cum hisce momentaneis variationibus alterari debeat, debeat inqvam: qvod tamen non fit: unde ejusmodi comparationes & conceptus crasse claudicant: dicere, Deus machinam ita coordinavit, ut inde alterari non debeat, metaphysicum qvicqvam est, qvod nullo modo explicari, nedum demonstrari potest; nimis crassæ enim & frivolæ illæ sunt provocationes ad voluntatem divinam. Qvis ergo movebit in corpore nostro, qvis motus ad justos fines, in justis methodis sub multiplicitate diversorum accidentium & circumstantiarum & convenienter & justè instruet? an ille motus connatus, an natura physico-mechanico-geometrico-chymica, an nisus materiæ inhærens, an materia ætherea subtilissima? minime! hæc non sunt physica, hæc sunt metaphysica: qvicqvid in vitalibus actibus fit, illud vitaliter ad vitam, sub justo tempore, mensura, ordine, proportione, constantia fit, & ad exqvisitum finem & scopum contingit, adeo ut sine illo fine vita non valeat, vita non subsistat, vita non fiat: qvis itaqve tam exqvisitos ordines & motus, motui connato, aliisqve figmentis attribuere poterit, in qvibus nullus respectus temporis, constantiæ, ordinis, mensuræ, finis. Tam frigida vero illa est corporis assimilatio cum machina vel pneumatica vel hydrostatica, vel äerometrica, sicuti alias freqventius fieri solet: qvalis machina si non ab altiore & principaliore aliqvo movente instrueretur, & dirigeretur, certe nunqvam ad justum finem moveret, ita ut illa finium ratio non ex machina, sed ex directore omni modo fluat: qualis enim usus vel unqvam redundabit ex horologio, nisi primario actu eidem ita moderetur, ut deinde justas horas indicet; qvis vero hanc justam indicationem & hunc finem absolute ex mechanismo horologii reputabit; nullus certe, cui

non

non perplacet præjudiciis ſuperbire. Et qvod non magnum offendiculum illud eſt, qvando corpus animatum proprio motu moveri & recte moveri aſſeritur, qvod illa diſpoſitio Phyſico-mechanica corporis noſtri adeo habilis, æqve ad ſiniſtrum qva ad dextrum ſuperne tam facilè qvã inferne, antrorſum tam prompte qvam retroſum, moveri qveat, ita ut nulla hic ſubſit difficultas mechanica, ſed neceſſitas mechanica tam confuſe corpus moveri, tam ad dextrum qvam ad ſiniſtrum, tam ſuperne qvam inferne, tam antrorſum qvam retrorſum; qvod vero ordinarie naturali modo & ordine non fit: ita enim v. g. illa eſt ventriculi diſpoſitio mechanica, ut tam prompte ſuperne qvam inferne moveri qveat, manifeſto teſtimonio potatorum, aut nauſeabundorum, qvi vel ad adſpectum aut monitum evomunt, ſine magno labore & hoc qvidem per poſſibilitatem mechanicam, qvæ vero inverſio ventriculi naturali ordine nunqvam fit, ſed à ſuperioribus ad inferiora recte & accurate movetur: ad ſpiritus hoc loco provocare, metaphyſicum qviddam eſt, qvaſi ſpiritus naturaliter & ordinariè tali & non alio motu influant; cur vero in nauſea non ordinario motu influunt? cur non magis aut minus influunt, cur non citius aut tardius, cur adeo exqviſite & ſtatico mathematice, qvis ſpiritus matheſin docuit? &c: Hi ſunt conceptus nihil ſignificantes, nihil denotantes. Et qvis deniqve nexus inter animam & mechaniſmum, qvæ anima totum illum mechaniſmum ad lubitum, ad cogitationem, ad fictionem turbare, invertere & immutare poteſt, ut v. g. qvando delicatior aliqvis alterum evomere conſpicit, ille ipſe una evomat, er ſpeyt per Compagnie mit; qvis nexus cum alterius vomitu: qvando nauſeoſus de vomitu cogitat, ut proxime evomat, qvan-

qvando fœmina aut masculus, purgans remedium aversans, mo, raliter exhorrescens, purgat sponte sua post ejusmodi cogitationem sine assumpto purgante: hæc licet non sint communia testimonia, & freqventes effectus sufficiunt interim abunde pro illa mechanica necessitate infringenda. Neqve enim in uno aut altero tantum mores, aut animi pathemata corpus alterant, sed universalis ille est effectus, ut itaqve universaliter anima, universaliter alteret mechanismum: frigida vero illa est excusatio, qvod anima qvidem nonnunqvam potestatem habeat in corpus, sed eandem non semper vel exerceat: vel exercere vili pendat, adeoq; spiritib9 tanqvã ministris suis hosce motus cõmittat, & concredat; qvod si vero semper anima pathemata mechanismum alterant, cur nõ semper animi potestatem suam in corpus habet. Et qvodagens in re qvadã, qvoad essentialia, fundamentalia, & accidentalia τὸ magis potest, illud etiam in iisdem τὸ minus præstare non tam potest sed etiam solet, si anima ventriculum aut cor forti9 movere potest; & solet, qvidni etiam moderatius & mitius: sed qvid de anima dico? odiosum hoc est nomen in Physica recentiori, cum plurima vel propter materiæ necessitatem, vel propter influxum & activitatẽ Spirituum fieri asseratur: qvid ita vero necessitas materiæ, qvæ ob necessitatẽ suam tot centenis mutationibus subjecta est, qvæ tamen multiplex variatio in vita, in vitali negotio ex illa materiæ necessitate minime obtingit, ubi e contra omnia juste & convenienter tractantur, disponuntur, ordinantur & moventur: qvis hanc proportionem materiæ necessitati attribuere poterit? Non desunt, qvi ejusmodi actus & effectus fortuitis contingentiis adsignant; sed qvis tam rudis esse poterit, accidentia talia, tam perpetua, tam exqvisita & accurata, tam proportionata supponere, qvæ *tempori, ordini*, & *mensuræ* tam exacte respondent; qvod ventriculus concoquat, qvia materiam concoqvendam continet, qvæ stimulat, impellit, irritat fibras nerveas, ut spiritus eo fluant & ventriculum moveant; cur vero hæc supposita stimu-

ſtimulatio & irritatio tam proportionata eſt, ut ventriculus non ſurſum ſed deorſum moveatur, ut tam æqvaliter ſecundum materiæ neceſſitatem moveat, non magis, non minus, ſed convenienter & juſte, ut ſpiritus æqve & juſte ac præciſe in ventriculum & non alibi fluant, adeoqve directum ſuum curſum ad ventriculum forment: habent enim hi ſatellites alias vias, per qvas eqvitare & curſum ſuum perficere poſſint: Qvis talem actum ventriculo aut ſpiritibus attribuere poterit? millena impedimenta occurrunt, qvæ non tantum talia poſtulata irrita, ſed penitus fabuloſa reddunt: tædet certe cum hiſce Phyſicis fabulis tempus terere: interim cum ad abſurda Phyſica pertineant, non potui, qvin horum figmentorum mentionem injiciam: qvantum lucis vero & emolumenti afferat Medicinæ prudens *motus* & *materiæ* conſideratio, ex eo liqvet, qvod Medicus primario motuum, deinde vero etiam materiæ rationem innovare debeat, & qvidem *motuum vitalium* non *ſimpliciter* Phyſicorum, fortuitorum, abſolute accidentalium, ſed ſub certis directoriis adminiſtratorum: unde qvibus animæ denominatio bilem movet, attendant tantum motuum & actuum juſtam & convenientem adminiſtrationem, & ſubſumant, an ille motus tantum ſit fortuitus & ſimpliciter *accidens materiæ, non tamen ſemper accidentaliter contingens*, an vero ſit motus directus, proportionatus, non ſimpliciter tranſitorius, ſed ſub juſta proportione applicatus: qvis ex aëris aut ætheris efficacia tam pulchram proportionem in actibus vitalibus obviam modo per leviſſimam rationem deſumere & augurari poterit? ſi æther corpus movere debet, reqviritur certa *proportio ponderis* ad *materiam* movendam, & illa qvidem tam *juſta*, tam *exacta* & tam *menſurata*, ut ne granum aut unicum gradum excedat, alias præſens eſt alteratio, qvæ in omnes fibras, & à tenerrimis partibus in ſolidas confeſtim redundat, arith metica & mechanica hujus erroris & alterationis diffuſione & accumulatione: ſi modo ab ignobiliori aliqva ma-

china ad nobilissimam corporis humani, comparationem instituamus, illa si non exqvisitissimum suum motum perpetuo recipiat & servet, facilè alteratur, ut vel horologium à pulvere tenuissimo alterari qveat; ab ignobiliori vero ad nobilius argumentando, ab omni calido & frigido, ab omni levissima causa physica, in omnibus momentis corpus nostrum alterari debuerat, & hoc tanto magis, tanto certius & tanto præsentius, imò tanto vehementius, quo nobilior eadem machina existit: sed qvæ ratio, qvando asseritur, qvod in corpore nostro mechanico principalissime ratio Physico-mechanica in regendis, moderandis, gubernandis motibus valeat, interim à rebus Physico-mechanicis non alteretur, qvia Deus hanc mechaicam qvalitatem & affectionem ita disposuit & ordinavit, ut alterari inde aliqvando possit, aliqvando vero non; & ut perfectissimo enti divino tam imperfecti, titubantes, & alieni actus & dispositiones frivolè attribuantur, hæc sunt specimina figmentorum, & crassæ confusionis, imo protervæ & temerariæ speculationis: in tota rerum natura nullum solidum documentum præstat, qvo assertum tale explicari & confirmari qveat: ratione materiæ homo ab alia materia minime distinctus est: & qvæ hominis materia est eadem tam ignobilis est ac alia corruptioni promptissimæ obnoxia, adeo ut tota in ita dicta universitate rerum nulla materia, nulla mixtio tam imperfecta, tamqve insida sit, sicuti corporis humani materia & mixtio esse solet: neqve ratio dictitat, qvod Deus materiæ corporis animalis desuper aliqvid ultro largitus fuerit: illa universalis est in rerum natura materiæ conditio, ut qvoad essentialia una præ altera nobilior æstimari nulla debeat: qvis itaqve somniare potest, qvod materia corporis humani movere, qvod rectè & accuratè ad fines per se movere poterit: qvis unqvam ulla ratione demonstrare potest, qvod materia ætherea, fluida, subtilis ad fines movere poterit: &, qvod magis dolendum est, qvis cum sana ratione concipere potest,

test, qvod spiritus tanqvam materia (majus enim & minus nihil derogat essentiæ) sive sint sylvestres sive domestici movere possint per se: aut gnosin, notitiam, intellectum habeant: hæ sunt ejusmodi cruditates Physicæ, qvæ Medicinam turbant & impediunt: item est ac si dixerim, materia habet notitiam, materia habet intellectum, scientiam, cogitationẽ, aër intelligit, æther intelligit, & sic porro: apage talia, Deus materiæ intellectum non dedit: spirit9 nõ sciunt, qvid agere debeant, qvid agere intersit & cõveniat, qvod, qvantum, qvomodo, ubi, cur, qvam diu agere conveniat. Spiritus non habent perceptionem irritamenti, neqve per se, neqve per beneplacitum Dei: sed qvis non aversetur illam Philosophiam, qvæ singulas frivolas cogitationes, figmenta & ludicras phantasias cum voluntate divina tam veneranda tam perfecta & sanctissima adornare & excusare satagit. Et hæc non tantum sunt metaphysica, sed etiam impiæ & temerariæ speculationes. An Hippocrates dixerit, qvod medicus talis Physicus fieri debeat, maximam dubitandi rationem habeo; & qvod ex tali scientia Physica Medicus aliqvod adjumentum ad artem medicam capessere debeat, simpliciter nego; Qvid itaqve de Physica corpusculari sentiendum erit? ut paucis multa complectar, nihil ad artem medicam illa contribuit: qvod si enim ad modum eleganter Physicus de figuris corpusculorum fabulare sciverit, qvid cõmodi reportabit, qvando ad Medicinam applicationem instituit: sive particulæ illæ triangulares, seu qvadrangulares, seu cubicæ seu rhomboideæ: qvalis inde erit formanda conclusio: certe nulla, qvæ Medicinæ inserviat: manet interim tota illa scientia speculum speculationum, exercitium phantasiæ, lusus imaginationis & frustratio veræ artis medicæ: & si etiam Physicus certò materiarum figuras depingere & explicare sciverit in singulis morbis, qvæ nam inde profluet solida indicatio? nulla; periculosa illa acumina detorqvere, & abradere, ridiculum & difficile est conamen, & tempus hisce laboribus irritis consumere.

 perpe-

perpetuo, infallibiliter & certo patientem destituit, delinqvit, & vitæ jacturæ offert & infert; alibi vero particulas specificæ figuræ ad suos poros proportionatos deferre & commovere, frustraneus labor erit: cui enim constat, qvi pori pro materia v. g. in petechiali febre aut alia, eliminanda apti, commodi, dicati, & conformati sint; & posito qvod & hoc constet Physico, qvo motu, & qvo auxilio eandem in arte Medica eò tam proportionate transferre & promovere poterit: deficit, Jovem jurabo lapidem, ubiqve vera applicatio & usus Physicæ ad artem Medicam: sed talis scientiæ & speculationis Physicæ: & præstat medico, artem veram medicam affectanti, nunqvam ejusmodi somnia didicisse aut vidisse. Et qvis pro ejusmodi sordib9 detergendis nobile tempus perdere allaborabit, cum digniora & utiliora in arte Hippocratica explicanda forent? Sed hæc neqve Momum me sistunt neqve Mimum, cum simplicissima talis explicatio simplicẽ applausum mereatur: neqve stomachabor, si hanc doctrinam dextra mea porrigo, si qvi sunt, qvi eandem cum sinistra prehendunt. Occurrit mihi aliqva objectio, eo tempore, qvo mentem meam circa abusum & usum Mechanismi in corpore animato exposui, (qvam observationem Hallensibus observationibus addidi) mihi oblata, ubi expressione illa eo tempore usus, qvod scientiæ, tales præcipue Physicæ, agonizent, facta inqvam mihi fuit illa objectio, an in me, an in alio agonizent, hæc licet superficiaria fuerit & imperfecta, habet tamen hac occasione aliqvod documentum, an mea Physica & confessio de communi Physica agonizet, an vero steriles ejusmodi conceptus de Physica in compendio hactenus explicati rectius agonizantem theoriam Physicam, & speculationem inanem obsignent. Sed qvis me Prætorem constituit pro Physica taxanda? arduus & seriosus textus Hippocratis, qvem & ego seqvor: *Conare, ut Physicus evadas!* unde de vera Physica solicitus, veram artem Hippocraticam inseqvi totus incumbo. Eccur non aliam Physicam subjungo?

ſcopus meus fuit hac occaſione Pædantiſmum in Phyſica demonſtrare: erit bono cum Deo alibi tempus, Medicinam Pædantiſmi in Phyſica & Medicina cordate exponere & publicè communicare. Reſtarent vero adhuc multa circa abuſum ſpeculationum Phyſicarum hoc loco proferenda, cum ne qvidem initium verum factum ſit circa pleniorem eliminationem Pædantiſmi Phyſici; ſed de poſtulatis & principiis hiſce deſignatis facilè comparebit, qvid de reliqva tali theoria, & deductione, applicatione, translatione in Medicam artem, expectandum ſit. Phyſicam non ſperno, veram rationalem Phyſicam urgeo, inſector, imitor, foveo & expecto. De Anatomia hactenus tacui, paucis aliqvid de abuſu anatomiæ ſubnectendum erit. Non tam egregium ſed utile omnino ſtudium eſt anatomicum, ſi præcipuè ſine ſterili Phyſica accuratè docetur & tractatur. Cognitio partium integrantium Phyſiologiæ non leve adjumentum offert; habitudines partium ad motus aſſumendos ex alio capite explicantur: Phyſica vero antomiæ explicatio tam parum prodeſt ac ſterilis ſæpe citata ſpeculatio Phyſica arti Medicæ inſervire poteſt & ſolet; qvam primum enim ille petulans opinandi libido anatomiam irrepſit, optimi ejusdem uſus depravati fuerunt: fluidas partes ſecundum elementaria principia delineare, multis fruſtraneis conceptibus cauſam præbet: fluidas partes ſecundum figuras determinare craſſiſſimis contradictionibus, confuſionibus & paralogiſmis favet: fluidas partes diverſis imaginariis actibus adſtringere, multis qvidem ſpeculationibus, ſed nullis demonſtrationibus inſervit. Solidas partes ſecundum figuras pororum, conſenſus materiales, conſenſus nervorum, conſenſus influxus ſpirituum, conſenſus pulſionis, truſionis, & impulſus explicare, multis gratuitis & fruſtraneis conceptibus patrocinatur: tam inutilis etiam & ſterilis eſt illa theoria conſenſus nervorum, ut exinde in arte Medica ſapere velle, & ſapere diſcere, alienum ſit & deperditum: ſolidas

par-

partes secundum nudam receptivitatem & habilitatem Physicam inqvirere, non rarioribus sed maxime freqventibus delusionibus, in arte Medica causam ministrat. Paucis multa dixi & multa adhuc dicere præstaret, qvæ vero latius explicare hac occasione non vacat: interim qvilibet prudens & judiciosus scrutator si Physica offendicula una conciliabit, haud ita arduam aut intricatam assertionis nostræ veritatem & fundamentum inveniet. Qvam turpis vero sit prostitutio, qvando medici rudimentorum & situs partium fallacem notitiam habent & v. g. uterum cum vesica urinaria confundunt, vel chirurgorum famuli sciunt. Qvantum verò organica partium consideratio arti Medicæ lucis afferat, qvilibet veræ artis peritus & Organismi intelligens experietur & contestabitur. Hæc sunt, qvæ breviter circa abusum studii Physici & anatomici in hoc capite explicare volui, unde ad alia transeundum,

CAPUT VI. Pædantismum in Theoria de Temperamentis ab adversario nostro contra scientiam & peritiam commissum cordatè communicat.

UT deniqve ad finem propositi mei properem, cum multa huc usqve proposuerim, placet adhuc aliqva circa Temperamentorum doctrinam necessaria & utilia proferre. Non est intentio mea totam Temperamentorum theoriam sistere, sed tantum aliqva circa malam ejusdem applicationem annotare: præbuit mihi hoc ipsum perficiendi occasionem author *defensionis auri fulminantis*, crudus & temerarius: qvi in primo capite tam absurda, & tam stupida circa Temperamentorum doctrinam profert, ut merito justam castigationem talis ululatus & misera Physica mereatur: præstat secundum ejus effatum

erudita scribere, nec tanta vaniloqventia & jactatione circumforaneorum more, de rebus dignis & utilibus disserere, nec, qvæ modo in buccam veniunt, raptim & rabide deblaterare, sunt verba fulminantis nostri adversarii: qvantum enim Pædantismum ille commiserit, tyrones Medicinæ comprehendere poterunt, qvem adeoqve publice communicare, aliosqve à tantis crassis erroribus & sanæ mentis turbationibus sedulo dehortari necessarium duco. Non tam pulcra qvam digna & utilis est doctrina temperamentorum, & sicuti mihi mos est, docere & explicare, cognitio animorum hominum ex habitu corporis; eò etiam veteres jam suo tempore solerter respexerunt, ut mores hominum differentes, secundum diversitatem corporis explicent: & en Galenum, qvi *Libellum* conscripsit, *qvod animi mores seqvantur temperiem corporis*; modo etiam posteri in Physica & Medicina utiqve tam attenti fuerint, pro hoc phænomeno magis inqvirendo, applicando & prudenter explicando. Sed uti fata ferunt, cum multi hoc negotium ad suas opiniones traxerint, non mirum est, passim hanc doctrinam opinionibus & nudis speculationibus turgere: turget in eadem opinio & commentum de spiritibus, de principiis elementaribus, de äere, æthere, de figuris pororum, de densitate & soliditate nervorum, de particulis stimulantibus, vellicantibus, irritantibus, de bile volatili & fixa, de humoribus acidis, salinis acuminatis &c: de connata elasticitate, densitate, rigiditate, nisu, & renisu fibrarum &c. de sulphure volatili & fixo, qvæ singula uti classicam temperamentorum theoriam perperam ingrediuntur, ita rectius ad speculationes, qvam ad solidas reales explicationes, demonstrationes, applicationes & usus inserviunt. Nemo interim nisi historiæ literariæ ignarus tam stupitus erit, ut raptim proclamet, *Qvare non nominantur illi?* odiosa imo qvandoq; superflua res est, authores allegare, siquidē personas offendere nunq; mihi mos & animus fuit, modo theoria sibi constet bona, certe & nō superstitiosa magis qvā vera; unde nō nisi literaturæ gnaris talia innotescunt.

Sed

Sed neqve veteres hanc doctrinam ubiqve perfectam substiterunt; laudanda interim omni modo eorundem est simplicitas & dexteritas, qva longe magis qvam nostra curiosa Physica perfecerunt: provocarunt communiter ad qvatuor elementares facultates, & harum diversum concursum, temperiem, temperamentum appellarunt. Frustraneum qvidem reagunt illi, qvi Helmontii rhetoricam insequntur, qvi existentiam temperamentorum non tantum refutare sed penitus annihilare student, ex illa non à veteribus supposita aut sincerè recepta distinctione inter temperamentum ad pondus & ad justitiam: subsumendo, qvod nullum tale mathematicum temperamentum reperiatur, aut reperiri qveat, qvasi humores in tam exqvisito & commensurato pondere in corpore animali confluere nequeant, sed unꝰ alterum præponderet, sine tali temperata proportione & arithmetica & statica convenientia: ut inde temperies vera supponi non qveat. Frigida hæc est explicatio, & ad tropos rhetoricos pertinet: neqve *Hippocrates*, neqve *Galenus* talia de temperamentis prædicarunt: si qvid itaqve regerendum videatur, fiat ad mentem, sensum & intellectum veterum authorum & inventorum: alias risui se exponunt, qvod Hippocratem aut nec legerint aut nec intellexerint: qvod ultimum etiam de adversario nostro merito dicere possumus; id qvod facile demonstrabo. Est verò veteribus temperamentum habitus humorum vel se ad invicem non ratione ponderis, sed ratione moderationis, vel ad corpus solidum, unde ab illis recitatiunculis Helmontianis meritò abstraho. Neqve mihi perplacet alium qvam veterum sensum inseqvi: graphicè jam tum veteres temperamentorum proprietates descripserunt, & historiam eorundem, qvantum fieri potuit, exhibuerunt; neqve omnia perfecerunt tam ratione historiæ qvam ratione nexus & usus: passim vero ad concursus temperamentorum respexerunt, cum simpliciora, non tam familiaria sint, sicuti mixta temperamenta esse solent: neqve tamen necessitas & rei

veri-

veritas urget, ut in unoqvoqve qvatuor temperamenta conveniant, aut gradus qvalitatum illarum cardinalium recenſeantur, ſed à potiori paſſione dominante fit denominatio, unde tantum illud hoc loco perluſtrare placet, an duo temperamenta poſſint commiſceri, & an calidum temperamentum ſimul ſtare qveat, vel an detur temperamentum mixtum, & an non poſſit eſſe temperamentum frigidum & calidum ſimul: breviter, an contraria poſſint mixta eſſe. Cur has & non alias qvæſtiones in tam utili doctrina decidendas moveam, facilius liqvebit, qvando Pædantiſmum enormem ab adverſario noſtro in hac theoria commiſſum, hoc capite ad oculum exhibere neceſſitas urget, ut conſtet, qvam male ille temperamentorum notitiam habeat, & qvam profunde ſeſe idem ille cum cruda ſua temperamentorum doctrina proſtituat, verſatur vero ille Pædantiſmus in prava harum qvæſtionum deciſione & applicatione ab adverſario commiſſa & exhibita. Quam primum ille in primo capite lupinas ſuas calumnias malitioſè effundere pro viribus incipit, in dubium non tantum vocat, ſed puerilibus ſarcaſmis & qvæſtiunculis illudit, illam deciſionem, qvod virgo B. (cui aurum fulminans propinabatur, ut cocta evacuentur, non cruda neq; in principiis niſi impetu ſuo ad excretionem ferantur, plerumqve vero minime ad exitum feſtinant) temperamenti phlegmatico-cholerici fuiſſe æſtimabatur, rationes, qvas contra hoc deciſum profert, ſunt tam infirmæ & adeo rudes, ut vel tyro medicinæ ad easdem ſolide reſpondere capax ſit: hæc enim ſunt verba adverſarii: *Deinde B. virgo temperamenti fuiſſe dicitur phlegmatici ſimul tamen cholerici, ut veteres illud graphice depingerent: Qvare non nominantur illi veteres?* NB. ſed audi qvæſo ſtatim nominabo) *Hippocrates certe & à priori & à poſteriori hæc naturæ myſteria ignorat* (NB. mentiris, Cain, Hippocratem male legiſti) *& hinc etiam ut obſoletus negligitur. Ego vero neqve qvenqvam veterum, neqve recentiorum medicorum hæc ridicula unqvam ſcripſiſſe memini, & qvis unqvam*

L

ſanæ

ſanæ mentis hanc σιδηροξόλου *contradictionem in adjecto calleat ſomniare?* *Secundum hanc enim B. virgo frigidi ſimul & calidi* (NB. cur non humidi & calidi) *ſicci ſimul & humidi* (NB. cur non fridi & ſicci) *temperamenti fuiſſe, capillis ſimul albis & nigris* (NB. & qvis unqvam ſanæ mentis hanc ridiculam explicationem à ſene expectare potuerat? ſunt deliramenta ſenilia) *pacifica & contentioſa, judicio minus acri, tamen ingenioſo.* Hæc, ut paulo clarius conſtent, ſincerè erunt explananda. Provocat adverſarius ad veteres & recentiores medicos, & fundamenti loco Mobium adducit, qvi temperamenta ſimplicia ſimpliciter expoſuit. Neceſſitas non urget, ut temperamenta ſeorſim & ſimpliciter pertractem: hæc enim qvoad hiſtoriam totum laborem poſtulant; Unde ad qvæſtiones meas deſcendo, & easdem condigne elucidabo. Simplicia temperamenta in qvotidiana experientia paulo infreqventiora & rariora ſunt; mixta vero ubiqve deprehenduntur, ita, ut experientia optimum & certiſſimum documentum præbeat pro hac qvæſtione decidenda, an detur temperamentum mixtum? Sicuti vero in tota rerum natura homogeneitas & libertas principiorum præ mixtione infreqventior eſt, ita eadem libertas & ſimplicitas in natura humana infreqvens deprehenditur: an contraria vero poſſint ſimul ſtare, an qvicqvam ſimul poſſit eſſe calidum & frigidum, ſeu frigidum & calidum, (perinde eſt, non enim ad ordinem, ſed ad contrarietatem reſpectus eſt) explicandum erit. Jam ſupra verò innui, qvod veteres temperies hominum & rerum aliarum naturalium cum illis elementaribus qvaſi facultatibus explanaverint, ſecundum qvaternarium elementorum numerum: primo verò proferendum erit, qvid veteres de temperie elementorum ſeorſim, ſeu rectius, de facultate & qvalitate eorundem ſenſerint. Jgnem calidum primo, dehinc ſiccum exiſtimarunt; aqvam humidam primo, deinde frigidam, non verò frigido - humidam, ſed humido - frigidam judicaunt : Terram frigidam principalius, & de-

demum ſiccam, frigido-ſiccam, non ſicco-frigidam; & deniqve aërem modo humidum, modo ſiccum, modo calidum, modo frigidum, reputarunt. Circa harum qvalitatum concurſum antiqvitas jam ſuo tempore diverſas lites movit, ita ut aliqvi ſint, qvi calidum & humidum ſimul ſtare negent, cujus rei exemplar ſiſtit *Galenus in Lib. 1. de Temper. Cap. 2.* Terra itaqve primario frigida eſt, & aqva principalius humida, unde non ſine ratione antea adverſarii objectionem taxavi, qvi ad mentem veterum paulo accuratius ſubſumere debuerat: & cum virgo temperamenti phlegmatico-cholerici eſſe judicabatur, cur non ex phlegmatis prædominio qvæſtionem movit: potuit ne illa humidi & calidi (hæ etenim ſunt principaliores affectiones) deinde frigidi & ſicci temperamenti eſſe, qvæ ultimæ ſecundariæ ſunt qvalitates: adeoqve primò contra rudimenta Pædantiſmum committit, & ludicras confuſiones inſtituit. Jam ſuo tempore Galenus haſce controverſias protulit, &, qvantum fieri potuit, decidere conatus eſt; illis, qvi humidum & calidum non ſimul ſtare poſſe putarunt, reſponſum præbuit, in *cit. loc.* *Neqve igitur calidum temperamentum neceſſario eſſe ſiccum: imo poſſe aliqvando in animalis temperamento calidum qvidem plus valere qvam frigidum: & humidum qvam ſiccum, qvin etiam tum generationem, tum alterationem, tum mutationem ex contrariis in contraria fieri, qvis enim eſt, qvi, ſi dixerit, album alteratum demutatumqve eſſe, propterea qvod factum ſit calidum, non ſit ridiculus?* Et qvid ſi qvis dixerit, album non poſſe alterari propterea qvia eſt humidum, nonne erit ridiculus? Non qvidem de ſe, ſed de aliis obloqventibus Galenus illa verba in eodem capite profert, qvæ adverſario noſtro inſervire poterunt: *deſinant igitur inqvirunt dicere non poſſe calidum & humidum temperamentum eſſe, qvippe calidum ſimul & frigidum eſſe idem temperamentum, aut humidum & ſiccum non poteſt: cum fieri neqveat, ut in eodem corpore contrariæ qvalitates una conſiſtant:* nõ tamẽ eò ſubſiſtit, ſed

sed diversis locis de tali convenientia calidi & frigidi loqvitur, qvæ adversarius denegat, qvasi qvisqvam Lupi & leporis naturam non possit simul habere: dogmatice *Galenus in cit. lib. cap 6.* hæc verba proponit: *ad eundem modum & de calido frigidove sentiendum, nullum enim ceterorum corporum prorsus calidum frigidumve esse, sed sola elementa: qvicqvid præter hæc ceperis, ex his mistis constat: eoqve secundo significationum genere calidum frigidumve est non amplius absoluta ratione, veluti sincerum, & à mistione alienum, imò veluti vel calidum largius, frigidum parcius vel frigidum largius, calidum parcius sit sortitum, reliqvorum qvidvis calidum;* ex hisce primo commode inferri potest, qvod humidum & calidum non qvidem libere, sed in aliqva temperata mistione ita dicta simul stare possint, qvod phlegmaticum principalius humidum & cholericum primario calidum una esse qveant: & ita secundo frigidum largius, calidum parcius esse potest in uno corpore secundum Galeni effatum & tali modo passim reperiuntur melancholico-cholerici; illi melancholici propter terreum principium prædominans, prædominanter frigidi sunt, hi cholerici calidi principalius sunt; & frigidum & calidum non libere sed in aliqva mistione & contemperatione stare simul possunt. Ita *in Cap. 3. Galenus* dicit: *calida temperies est ubi calidum prævalet frigido,* non excludendo absolute frigus, sed tantum prædominium urgendo. In 5 capite dicit: *neq; id alienum est, si idem corpus simul calidum frigidumve dixeris, nisi ad eundem conferens, sic dixeris (in actiones ejus conferendo, & comparando)* qvod in uno corpore calor adesse qveat respectu frigoris inferioris, & frigꝰ simul respectu caloris alterius. In *cap. 9.* asserit, *qvod tota qvidem ejusmodi corpora* per tota miscendi, calidum, frigidum, siccum & humidum homini facultas nō sit: Terra *enim aqvæ confusa miscetur qvidem (qvantus scilicet videri cuipiam possit) atque ita tota toti contemperatur &c sed ambo ea per totam misceri Dei vel naturæ est opus, magisqve etiam, si calidum & frigidum inter se tota per tota*

mi-

miſcenda ſint. Hinc deſcendit *Galenus* in poſſibilitatem (qvam alibi etiam explicavit, ſicuti demonſtravimus) hujus concurſus: & hoc eſt illud *myſterium naturæ*, qvod ſtupidi capere recuſant, & illudunt : *Qvare non nominantur illi veteres?* alibi de cutis temperie diſſerit *Galenus*, qvod cutis temperata & media ſit, calidi, frigidi, humidi, ſicci, ubi omnes qvalitates etiam contrariæ in certa temperamenta continentur: & hoc appellat iterata vice *naturæ* opus: In eodem capite dicit: *Neqve enim difficile tali miſtione lutum qvod medium ſicci humidiq; ſit molliri: ſimili modò & qvod calidi & frigidi ſit medium* (NB. qvod de calore & frigore participat) *videbiturq; tibi ejusmodi corpus in calore & frigore temperatum: imo etiam in duritiei & & mollitiei medio ſtatu eſſe.* Multa & non levia hæc ſunt documenta ex veteri Philoſopho & Medico; & en Pamphile! *Hippocratem in Lib. de priſca Medicina* de tali comtemperatione frigidi & calidi eloqventem: *frigidum qvidem & calidum inter omnes facultates minimum in corpore poſſe has ob cauſſas exſtimo: qvam diu enim calidum & frigidum inter ſe permixta fuerint, moleſtia neutiqvam afficiunt: contemperationem enim & comoderationem habet frigidum à calido, & calidum à frigido.* Poſſẽ ex Hipp. adhuc plura conſentientia loca proferre, ſi tempus & neceſſitas urgeret: Vide ſis B. L. qvam perperam & temere adverſarius noſter ad Hippocratem provocet, qvippe qvi expreſſe talia myſteria naturæ proponit; ut adeò petulans & contra ſanam mentem audacter declamata ſit provocatio: *Hippocrates certe & à priori & à poſteriori hæc naturæ myſteria ignorat, & hinc etiam ut obſoletus negligitur:* ſed bona verba, qvæſo, qvem non neglexi, ſed qvi in adverſarii vituperium & ludibrium aſſurgit: qvam turpis itaqve ſit obloqventis audacia, & infrunita provocatio, qvilibet æqvus judex dijudicare poterit. Cum verò in recentioribus temporibus paſſim optima veterum theoremata inverſa ſint, qvid mirum, tantas novas ſpeculationes magis

gisqvam solidas deductiones & demonstrationes enasci: unde illæ confusæ applicationes, & in nostra re, temperamentorum mixtorum inversæ explicationes & theoriæ prodeunt, qvæ magis cum opinionibus ludicris, qvam cum veritate historiæ & experientiæ adornantur: unde meritò cum *Galeno* eloqvor: *satius erat prorsus ejusmodi rationes non attigisse, sed totum experientiæ concedere, aut prius in Logica speculatione exercitatum fuisse; qvippe qvi nec experientiæ est attentus, & naturalia theoremata aggreditur, priusqvam rationem, qvæ hæc inveniat, convenienter exercuit, necesse est in ejusmodi cavilla sit perductus, ac de evidentibus seu is qvi sensu careat disputet.* Unde qvilibet vir prudens facile etiam judicare poterit, ex qvo ponte hæc argumentatio, qvod Phlegmaticum & Cholericum temperamentum non possint simul stare aut existere in uno subjecto, qvia calidum & frigidum directe sibi invicem contrarientur, desumta sit, an ex vero rationali logico, an vero ex alio - - - - Qvoties in rebus naturalibus calidum & frigidum, aut frigidum & calidum conveniant & sub tali miscela consistant, vel puer scit, qvi ex frigida & calida aqva teporem producit, & qvò abundantius vel prædominans est frigus, eo magis moderatur calor, ut caloris qvidem gradus aliqvis, sed temperatior subsit, interim non penitus abolitus; absurdissima itaqve & ridicula objectio Professore maximè indigna, est illa, qvod B. virgo ob allegatam rationem capillis albis & nigris prædita, qvod simul pacifica & contentiosa esse debuisset; cum mixta enim fuerint temperamenta, & gradu qvidem specialiore secundum magis & minus; an non datur moderatio & mixtio in effectibus? ut magis album & minus nigrum, ex flavo lucidum aut puniceo lucidum colorem sistat, ut ex prædominante albedine, & minore gradu rubedinis, color albicans roseus evadat, ut ex animo nimis pacifico & moderatius contentioso, tranqvillus, modestus cum pudicitia gratiosa, & amoena, paululum generosa adeoqve sine simpliciter pacifica, cum ali-

qvali

qvali tamen fugitiva, sed modesta racundia conjuncta, indole temperatus animi habitus fiat & insolescat: qvod deniqve ingeniosum qvisqvam in tali temperamento sine judicio acri; ex cholerici temperamenti accessione animum habere potuerat qvippe cholerici tam ingeniosi, qvam judiciosi existere solent; ut ratione moderationis choleræ (ut communiter appellari solet) facilior habilitas animæ accesserit, scilicet ingenium, paulo minus vero judicii alacritas, fervor, promptitudo. Sicuti verò omnia, qvæ eruditionem in tali defensione adversarii nostri spirare & sapere debeant, claudicant: ita hæc eadem objectio, qva causam suam excusare affectat, tam stupida & iners est, ut risum potius mereatur, qvam correctionem, unde non latius insomniis ejusmodi, ab adversario publicatis, inhærere placet. An vero ludicra talia & gratuita non ad Pædantismum pertineant, qvilibet inde prudentiæ & æqvitatis Studiosus cultor colligere facilè poterit.

CAPUT VII. Concursus Pædantismorum in experientia Medica explicat.

NE ultra filum laborem meum extendam, superest ultimo deniqve, malas qvasdam consecutiones, ex perversa theoria in experientiam seu artem medicam redundantes, designare, ut inde magis apertè liqveat, qvomodo mala theoria seu nudæ opiniones in artem Medicam translatæ, malis etiam conseqventiis faveant, & inserviant: Cum de Historia & authoritate medica hujus tractationis ortum formarim: inter est de utrisqve, qvatenus artem medicam paulo pressius respiciunt, qvædã inferre. Ratione Historiæ Medicæ illud æqve palam est, qvam diversa sit medicorum in omni ætate experientia, ita ut Empirici æqve acriter ad peritiam provocẽt, ac dogmatici aliiqve eandẽ inclamare solent; tam multiplex vero & multis locis & ætatib9 adeo æqvivoca eadem est, ut in imitatione non possint, qvin multi dubii, sinistri & accidentales effectus passim copiosè prodeant: qvi

nudam

nudam empiriam five experimenta fequuntur, edunt hujus dubiæ & ambiguæ curationis multiformia fpecimina: hinc non mirum eft, qvod laudabilia alias remedia tam fublestæ fidei reddantur, qvam fi extra juftam methodum adhibita, dextrum effectum haud præftiterunt, pro inutilibus, noxiis & fruftraneis judicata & viciffim qvæ ad effentiam morbi confilia fcilicet & remedia directe nihil contribuerunt, fi una aut altera vice per accidens magis effectum optatum ediderunt, fingulis paginis & locis directa commentatione pro tali effectu obtinendo offeruntur imo obtruduntur: qvã conftans vero tale experimentum fit, fciunt illi, qvi rationali empiriæ indulgent & inhærent: poffum hujus rei duo notoria documenta ex multis aliis proferre, primo ufum VSnis pro omni aut pro acutis febribus curandis: deinde laudem martialium aperientium & purgantium; qvantis ambiguitatibus utraqve fubjecta fint, docet dies & ufus: & qvid de illis generalioribus encomiis dicendum erit, qvod cardiaca, confortantia, fpiritus excitantia, præparantia, reparantia, exaltantia, exhilarantia, hepatica, uterina, antihæmorrhoidalia, &c: fpecialiffimam qvafi efficaciam pro titulis fuis confirmandis habeant: pertinent media talia plurimum ad illam inconditam empiriam, qvæ per ætates noftra tempora irrepfit, & tam freqventes fruftrationes caufatur: diffufiffimus certe campus eft in hac materia, fingula attingere; fed cum cujusvis hactenus pertractati fpecimina tantum aliqva proferre placuerit, poterunt hæc in re medica famofa admodum hujus fphalmatis manifeftum fymbolum fiftere: talia æqve fata methodi diverfæ & inventiones practicæ freqventer fubeunt, qvando eædem ita generaliter omni ætati, temperamento, climati, regioni, moribus & confvetudini applicantur, ut vel à veterum qvorumlibet fpecialiffimis indicationibus recedere impium æftimetur, aut fpeciofis inventiunculis fefe pertinaciter dicare & adftringere non detrectetur: de qvibus ftatim adhuc plura. Qvod alteram & qvidem practi-

cam

cam Hiſtoriam concernit, odioſum ſane eſt profiteri, qvam malè illi in media & recentiſſima ætate conſultum ſit, adeo ut à ſua integritate, ſinceritate & ſimplicitate graviter in confuſionem & fallaciam hinc inde plurimum translata ſit, qvam multi magis phantaſiis & ſpeculationibus ſuis junxerunt, ut hinc arduum, laborioſum & difficile ſit eſſentiam morborum genuinam addiſcere, niſi antiqva ſinceritas novis qvaſi ſtudiis comparetur & conferatur: *Baglivius in praxi* ſua, vir multi uſus & experientiæ, de tali hiſtoria animitus confitetur, *qvod copioſa qvidem primo adſpectu videatur, re ipſa tamen egena ſit ac inutilis; imo ob transcurſus qvosdam permoleſtos in philologiam, narrationes ſupervacaneas, qvæſtiones jejunas, ſimilesqve nugas, infirma prorſus ac perdita*: non ſuperficiarie hanc philologiam increpat, qva magis criticorum more ſimplices effectus qvaqvaverſum torqventur, interpretantur, aliis, & non raro plane contrariis, phænomenis & phantaſiis illuſtrantur, explicantur, adornantur, ut ſemper confuſa hiſtoria inde generetur, qvam ad ipſam veram rationalem experientiam applicare neqve vacat, neqve convenit: hinc ſimplices morbi & hiſtoriæ pro rarioribus agnoſcuntur, & uberrime novi morbi ſupponuntur, formantut, effinguntur tot ſubinde malignitates, tot venena, tam multiplex ſaburra snilioſa & cruditates paſſim increpantur: & qvid mirum eſſe poteſt, indè tot corruptos & polymorphos morbos enaſci, qvorum ſchema tam implicatum, tam intricatum, tam confuſum & tot diverſis effectibus ſtipatum eſt, ut tota Medicina non raro deficiat pro hiſcè morbis explicandis & curandis: & qvomodo admirationem meretur illa diffuſa & multiplex obſervationum publicatio, qvæ plurimum neqve commodum neqve verum uſum habent, ut qvam primum lectæ, ſimul etiam ſepultæ ſint, illas enim ad uſum practicum aſſervare, idem eſt, ac auream pluviam expectare: non deſunt interim etiam utiles obſervationes practicæ, qvæ certo & ſincere pro vera hiſto-

ria medicâ illustranda inserviunt: & modo in singulis observationibus illa philologia desit, qvæ ut plurimum historiæ genuinæ pestis & offendiculum est: non possum, qvin adhuc laudati *Baglivii* commendationem verarum & utilium observationum hic allegem: *si excipias*, inqvit, *tam paucos* (profecto paucos) *illos observatores, qvi casus & historias medicas diligenter, feliciter, & ad vivum, prout ab ipsa rei natura procedebant, describendo*) tanta enim non raro in observationibus conscribendis committitur petulantia & audacia, ut qvæ sponte sese ad observationes & ad speculationes ex morbis qvandoqve corruptis nõ offerunt, effingantur, unde recte urget, ut ad vivum ex ipsa rei natura describantur) *Medicinæ pomœria summopere ampliarunt; ea, qvæ reliqvi adjecerunt, falsam theoriam, & hujusmodi ineptias spectantium turbarunt potius impediveruntqve illius progressus, qvam indicarunt aut promoverunt.* Qvantum commodum Medicina sive ars medica ex superstitiosis, fastuosis, spissis, & ambitione turgidis annalibus capessat, dijudicare poterunt prudentes viri: sunt non nunqvam ejusmodi spissa volumina palæstra errorum, epitaphium demortuorum, & inanis umbra jactationis & gloriæ, ut ad praxin provocari qveat, ut observationes citare possint, ut ad annales, tanqvam ad asylum, confugere & insultare acriter liceat: sed qvorsum hæc vanitas, & sterilis hominum ausus. Et hæc sunt, qvæ breviter circa historiam practicam annotanda fuerunt. An aliqvod subsidium autoritas medica arti medicæ conferat, paucis explicabo. Magnus est abusus in experientia & arte medica, ad authoritates provocare, qvid qvod ubiqve easdem pro scuto & telo producere, qvasi ita indifferenter fidere non, tam consultum sed etiam necessarium esset, unde illa gratuita authoritatum & authorum allegatio oritur, & pro essentiali reqvisito ad artem medicam urgetur: sed loqvor hic de abusu, qvi tam freqvens & copiosus est, ut verum usum hujus authoritatis medicæ meritò ad raritates numerare qveam: hinc illæ hominum consuetudines

nes

nes inclarescunt, qvando errores suos alienis testimoniis & authoritatibus æqve non raro claudicantibus excusare, & ad dexteritatem & integritatem suam pertinaciter & impudenter provocare solent: occurrunt hujus rei non levia sed innumera exempla in experientia Medica: sunt, qvi ad Hippocratem tam austerè provocant, attamen eundẽ vel male explicant & interpretantur, vel male etiam applicant, ut crinibus qvasi, ut ajunt, textus Hippocraticos in suam rem trahant, qvasi hæc sit Jovis ara, ut qvando nomen tantum Hippocratis allegant, universalis excusatio & defensio non possit nõ eminere: qvam perperam vero Hippocrates hinc inde explicetur, illi sciunt, qvi eundem legunt, & intelligunt, aliasqve comparationes juste & prudenter instituunt: hæc non tantum dico, sed superius hinc inde demonstravi, qvam frivola & ludicra sit passim obvia Hippocratis citatio, provocatio & applicatio: qvam male aurei aphorismi practici Hippocratis retorqveantur, confundantur, & pervertantur, sciunt illi, qvi artem veram & genuinam Hippocraticam callent & possident, & non cum speculationibus, neqve empiricis tentaminibus delectantur. Tam stricta verò etiam in altero Hippocraticæ authoritatis abusu est artis Hippocratis extensio, ut qvæ specialissime suo tempori, moribus, motibus, climati, regioni & specialissimis accidentibus utilia prædicavit, ea ubiqve sine discretione & moderatione applicentur; si qvis vero error inde enascitur, illud αὐτὸς ἔφα, acriter producatur, declametur & propugnetur; non alii nisi æqvales abusus circa reliqvorum veterum medicorum authoritates committuntur, ut cohors qvidem grandium verborum & dictorum allegetur, sed sub multa æqvivocatione diversimodè interpretetur. Tam crassi etiam coeteroqvin hujus authoritatis abusus passim vigent, ut si modo unum aut alterum authorem citare liceat, veritatem de hinc obtrudere, non pauci sunt, qvi audeant, & qvoad methodum medendi, hunc aut alium famosum practicum & scriptorem temere imitentur & inseqvantur, sine prævia justa analysi essen-

tiæ & genii veri morbi, ejusdemqve apparatuum, an etiam rationabiliter talis methodus huic essentiæ affectus conveniat, an vero minus notorium hujus rei documentum esse potest temeraria universalium methodorum & remediorum indicatio, imitatio & præmissio, ut vel in omni morbo purgantia, vomitoria, sanguinem educentia, tanqvam principalissima aggressione commendentur: vel specialius in febribus, anteqvam febris (ut solennis formula fert) curari suscipiatur, indiscretim vomitorium aut purgans præmittatur: qvasi crudiora ejusmodi consilia & media cruditates primum eliminare debeant, qvæ tamen ut plurimum non turgent, ut reliqva methodus facilitetur & sublevetur, imo affectus facilius curetur: qvantæ vero in ejusmodi tentamine ambiguitates occurrant, prudens & rationalis praxis edocet: qvales præterea Pædantismi circa remediorum seorsim consideratorum usum comittantur, ineffabile est. Complementum fallaciarum & infirmæ, infidæ, dubiæ, fictæ, frustraneæ experientiæ est communis materia Medica ita dicta, qvam qvidem absolute vanam appellare minime audeo, attamen innumeris frustrationibus refertam, in qva illud abominabile præjudicium, qvotidianis experimentis inclarescit, qvantum illa frivola commendandi libido profecerit in arte medica: deficit certo in vasto illo & spisso conamine integritas & firmitas experientiæ, & si ejusmodi commendationibus fidere securum æstimatur, uberrime sinistri effectus conspiciuntur, qvi tamen per abusum authoritatis excusantur, qvod ille vel alius de altero, tertio, qvarto, qvinto professus fuerit, tale laudatum remedium in hoc vel illo affectu proficuum esse & fuisse; ut ita unus alterius præjudicium proseqvatur, & magis pertemerariam empiriam, qvæ experientiam rationabilem artem medicam exerceat. Qvam ridicule & frigide ex malo ponte Logico circa authoritatis abusum argumentetur defensor auri fulminantis, cujuslibet oculis manifestum & apertum est, probat sinceritatem & utilita-

tem

tem auri fulminantis tali argumento: *aurum fulminans contra tormina infantum & pertinaces alvi obstructiones, & exinde eminentem epilepsiam utile judicatur ab Ettmullero* (ut plurimum comitante febre acuta NB. qvod contra experientiam est) *& præter alios effectus tormina sistit, horridas* NB. horridas *alvi dejectiones promovendo, & insultus epilepticos sopit, nunc citius, nunc tardius operatur, debilius itidem & vehementius, prout plus minus in utero infantis à grumo lactis, vel muco pituitoso irretitur & inviscatur, aut prout D. D. Pancratius Wolffius suspicatur, NB. suspicatur, cruditas primarum viarum majore aut minore copia peccat si, dicit, hoc remedium tantas laudes in tenerrimorum infantum morbis meretur, ejusqve virtus antepileptica se probavit, qvanta magis in B. vigine XIX. annorum prodesse, ad minimum innoxium illud esse debuit.* O miserrima argumentatio à minori ad majus. Qvod si b. a. ba. b, e, be &c: tantas laudes in tenerrimorum infantum animis meretur, ejusqve virtus in primis rudimentis se probavit, qvanta magis in adversario nostro 60 annorum prodesse debuit, risum teneatis, non viri, sed tyrones logicæ, qvi sciunt, qvot termini in uno syllogismo esse debeant: possum ex hac miserrima argumentatione adversarii nostri, ultra triginta imo qvadraginta sphalmata philosophica demonstrare, si temp9 permitteret, interim pessima talis & stupida conclusio à qvocunqve sane mentis homine facile perspici potest, ut tantæ gerræ, nugæ & qvisqviliæ penitiorem refutationem minime mereantur: hunc enim pædantismum tyronibus in scholis castigandum relinqvo. Ejusmodi abusus authoritatum in se qvidem qvandoq; laudabilium committuntur à crassis ingeniis, qvi Logicam qvidem inclamant, sed per plura lustri spatia rationabiliter exercere non didicerunt. Sunt qvidem in arte Medica hinc inde optimæ experientiæ & authoritates, qvæ vero cum ejusmodi stupidis imitationibus & argumentationibus, obnubilantur & confundumtur, ut non mirum sit, qvod laudabilia qvandoq; remedia

dia tam perperam & improvide adhibeantur, contra artis methodum, usum, consilium & dogma. Qvam ludicra, detestanda, & ridicula præterea illa sit experientiæ & veræ authoritatis suppressio, qvando in aliis illa authoritas & experientia non est, qvilibet facilè agnoscere poterit: cum experientia solida ad unum, alterum & tertium casum provocare, & in annalium Tomis hunc annum aut alterum com̃endare & allegare haud sufficiat, sed in uno anno ad centum & mille, & in pluribꝰ annis ad millies millenas experientias & usus provocari qveat, non superstitiosas sed omnium experientiæ imitationi expositas: qvantum, inqvam, talis authoritas & experientia præ alia temeraria, superstitiosa, spuria, irrationali, valeat, dijudicet æqvus Practicus. Qvorsum deniqve referre æqvitas & necessitas postulat illam authoritatem, qva ad senectutem in experientia, adeoqve ad uberrimam praxin provocari solet, v. g. qvod D. D. Wolffius disputatione sua inaugurali Altdorffina de Ictero decem annos priori qvam adversarii Jenensi de intestinis, eorumqve morbis docere & comprobare vult, medicinam se jam tum calluisse &c: qvorsum, inqvam, talis authoritas referri debeat, facile decidi potest; pertinet ad Pædantismum, & qvidem absolute, per se, simpliciter, & non per accidens ad Pædantismum; risibilis est argumentatio, qvicunqve decem annos priore disputatione de ictero disputat, ille medicinam prius callet, qvam alter &c. qvæstio certe non movetur de medicina, sed de vera arte medica: non enim sufficit medicinam callere, qvam veram, rationabilem, certam medicinam nosse: hæc enim authoritas spuria est, qvam viri prudentes rejiciunt, & qvæ omnibus sanæ mentis subjectis abominabilis est: me sane disputatio de Ictero alterius risui & contemtui non exponet, neqve rationabiliter concludi potest, qvi decem, viginti aut triginta annis alterum superat, ille melius medicinam callet. Hæc enim ad anilia pertinent, & fabulas vetularum constituunt. Barba non facit Philosophum;

&

& hæ authoritates ſunt abſceſſus & fungi ſanæ rationis; interim prudentes viri non ad annos, ſed ad rationem & veram experientiam provocant, minime ad annales inauditos & fornacem cuſtodientes, ſed ad exempla viva, qvotidiana, publica & notoria, non ad demortuos, ſed reſtitutos: Turpe enim eſt, ſi Medicus dignitatẽ, authoritatem & experientiam ex demortuis inclamat; Sufficiant hæc de Pædantiſmo in hiſtoria & authoritate medica commiſſo allegaſſe, licet innumera adhuc exempla produci qveant. Progredior ad opiniones & ſpeculationes medicas, qvæ in experientiam medicam magnum damnum deponunt. *Cicero* dicit, qvod *opinionum commenta dies deleat, naturæ judicia confirmet:* pereunt ejusmodi commenta ſponte ſua, ſed ſi in medicinam transferantur noxam pariunt: qvorſum enim ejusmodi opiniones tendunt, qvæ phaſmata tantum ſunt, neqve in effectu occurrunt, interim ad effectum urgentur, diſponuntur, trahuntur, cum ſponte & ſalutari ordinaria via nunqvum evenerint: hæc ſunt illa commenta, qvæ dies delet, qvando effectus opinionibus neqve cohæret neqve reſpondet: eò etiam pertinent illæ irrationales ſuſpiciones, ut non rarum ſit audire, *ego ſuſpicor, ego puto;* qvid enim cum ejusmodi conjecturis, ſuſpicionibus & opinionibus in arte medica agendum & inſtituendum erit? præbent fallaces indicationes, fallacem experientiam, ſiniſtram artem. Vir prudens in arte medica rerum ſuarum certus eſſe debet, & non ſuſpicari; hæc enim commenta dies delet. Turbant ſpeculationes artem Medicam; effectus, ordines, ſucceſſus, methodos naturæ noſſe præſtat, hæc enim judicia dies, confirmat: unde illæ fruſtrationes ex ejusmodi opinionibus oriuntur, ut medicus non raro exclamare debeat: Dieſes hätte ich mir nicht eingebildet: Dieſes iſt gar ein wunderlicher Zuſtand: ich kann mich in dieſen Zuſtand gar nicht richten: Hat ſie vielleicht dieſes oder jenes gegeſſen:

Hat

hat sie viel sauers gessen/hat der patient den Scorbut, hat er irgend Gifft bekommen. Respondetur: Minime, Excellentissime Domine Doctor: insistunt suis opinionibus cum religiosa contestatione: behüte GOtt/ was muß es doch vor eine Beschaffenheit mit der Kranckheit haben: Resp. ja! das muß der Herr Doctor wissen &c. pergunt, allgut/ wir wollen dieses oder jenes/ und ein bißgen opium verschreiben &c. tam manifeste opiniones artem medicam turbant, & titubantem medicum reddunt, ut vere & cordatè ad artem & experientiam inde provocare non liceat: Specimen ejusmodi Pædantismi circa opiniones medicas præbet adversarius noster, qvando minime ab experientia edoctus, sed ex ludicra & petulanti contradicendi libidine dulcia neqve hystericis, neqve colicis nocere, humores peccantes alterari non posse, vitam in excretionibus consistere, &c. negat, ubi monendum primo est, qvod malitiosè & rabide talia sub indifferentissimo proferat, deinde per nudam speculationem magis qvam experientiam obloqvatur Legat *Ettmüllerum* & videbit, qvod ille mellis usum in hypochondriacis affectib9 commendet, sunt & multi alii, qvi qvidem dulcia, sed certe non aliter nisi qvotidiano aut excedente usu damnant, interim sacharata commendant, & hinc condita, condimenta, syrupos, electuaria, succos, enemata, omnia sacharata injungunt & offerunt, ut *Sennertus, Bonettus, Riverius, Sydenhamius* & multi alii; conciliet itaqve rationalem experientiam, dehinc paulo prudentius objiciat; observet methodum, verum usum, ordinem, tempus, mensuram, & sic judicare poterit, qvid de singulis hisce in praxi medica judicandum sit; Sed neqve tempus neqve occasio permittit hæc latius tam per rationem, qvam ex experientia demonstrare; elegantem locum de opinionibus *Baglivius* in Praxi habet, qvem hoc loco merito appono: *non opinandum, sed certo & ostensive sciendum: neqve disputandum sed experiundum, qvid natura faciat aut ferat; & qvod ipsi per speculationes attingere non possimus, id in natura impossibile*

non

non supponamus artis nostræ infirmitatem in naturæ calumniam vertentes. Utinam sibi qvisqve hæc in aurem dicta reputet. Physica communis ad artem medicam nullum plane subsidium confert, & anatomiæ curiositas eandem turbat. qvippe ex nulla harum Physicarum opinionum specie ulla rationabilis indicatio in therapiam redundat; qvod si vel motum illum proprium corporis, aut connatum nimium refrænare aut cohibere contendunt, qvalis rationabilis indicatio formari poterit: adstringere aut majorem motum introducere inconsultum est & contra scopum; an tenerrimus pulvis terreus, absorbens efficaciam habeat nimios orgasmos & commotiones cohibere, testatur experientia per contrarium: an volatilia hoc possint, non inqvirendum est, cum motus magis secundum comunem hypothesin stimulent. qvorsum deniqve? opium! recte, rem acu tetigisti, ein Wißgen opium, hoc est illud medicinæ solatium, si nihil motus tales excedentes refrænare poterit, opium præstat, sed qva salubritate & utilitate, sciunt multi periti practici: Ubi vero consopitione aliqva opus esse rationabiliter dijudicatur, non tam qvæstio est, qvam experientia confirmat, qvod Massa pillularum de Cynoglossa præstantior sit præ opio, qvippe qvod in tanta exiguitate, sicuti in eadem Massa haud deprehenditur, ut in duobus, tribus granis M. P. de Cynogloss. vix octava pars unius grani opii contineatur: tanto minus vero, qvo minori dosi ad gran. semis vel unum eadem præscribi à nobis solet, ut non ratione doseos, mensuræ & extenuationis illa rationabilis circumspectio commendetur & suadeatur: facile itaqve iterum qvilibet prudens homo cognoscere potest, qvam inconsiderata illa sit objectio, qvam adversarius offert, qvasi contra sanam rationem sit opiata noxia prædicare, & theriacam ac pill: de Cynoglossa laudare. Utinam modo sensus adhibeatur, ne tam crassus pædantismus omnium risui & ludibrio expositus, ab adversario nostro committatur: hæc enim

N prin-

principiis & rudimentis (multo magis ponti) Logicis manifeste contrariantur. Unde constat, qvam parum de illis, qvæ scripta sunt (& qvibus obloqvi temere conatur) intelligat, sed crudo potius animo stupidè repugnet. Qvid particulæ, qvid pori, qvid figuræ pororum & particularum valebunt in arte medica? profecto nihil! & si medicus secundum illas speculationes curare inchoabit, frustratur omni bono fine, cum in ejusdem potestate non est, particulas rodentes ita alterare, ut non rodant, ut triangulares exqvisita proportione suos poros ingrediantur, motu tantum fortuito & per accidens concitato agitatæ: hæ sunt illæ noctuæ, de qvibus commune illud opprobrium cantat: *In Medicina decantantur tenebræ, & noctuæ philosophantur & Athenis & Halæ in defensione auri fulminantis;* de illis assimilationibus præposteris in artem Medicam transferri solitis conferatur *Baglivius* Praxeos *Medicæ. Lib. 1. Cap. IV.* Qvanta utilitas ex comparatione effectuum in corpore humano obviorum cum effectibus antliæ pnevmaticæ, thermometri, barometri, tubi Torricelliani, machinæ papinianæ &c in artem medicam deveniat, qvilibet prudens practicus profiteri poterit: ego certe ullam neqve reperi, neqvo reperire possum, neqve ego tantum, sed multi alii mecum, qvi fabulis & frivolis assimilationibus non delectantur, & nexus rerum rationales, firmos, constantes & perpetuos amant, fovent, & expectant. Interea studia talia minime contemno, modo non egrediantur limites suos, & per sinistram applicationem hinc inde transferantur. Qvid de spiritus reficientibus, excitantibus exhilarantibus, confortantibus, somniatur, illud ad speculationes & opiniones pertinet, cum in materiam talis excitatio, exhilaratio, recreatio per ullam possibilitatem, & necessitatem Physicam nunqvam cadat: ut juxta *Hippocratis* indicationem *naturæ, fines, sensus & motus* attendere magis præstet. Et ita etiam curiosa Anatomiæ tractatio artem medicam con-

fun-

fundit & turbat, qvando magis Physicis hisce opinionibus adornatur. Perplacet mihi illud Bonetti conamen circa anatomiam, qvæ vera est practica: unde secundum *Baglivium*, Prax. *Lib. 1. cap. 5. §. 6. Cadavera hominum morbis denatorum, sunt ei secanda, manusq; inqvinandæ, ut inveniat, qvæ morbi sit sedes, qvæ causa, qvi exitus antecedentium symptomatum, qvi demum effectuum omnium, in antecedenti morbo observatorum, eventus.* cont. qvod de anatomiæ vero studio professus est *Lib 11, cap. 5. §. 6.* An deniqve trivola temperamentorum confusio artem medicam impediat, minime dubito, sed firmiter affirmo: exhibent sese specimina talium errorum practicorum, qvando in sensibilioribus & activis tam animo qvam corpore sensibilioribus subjectis motus diversimode excitantur, irritantur, provocantur, turbantur, impediuntur, supprimuntur, qvando in delicatioribus & timidioribus motus nunc supprimuntur, alibi fortiter excitantur, & modo iterum consopiuntur, adeoq; perpetuo turbantur, qvando secundum unius cujusqve temperamenti habitum, mores, indolem, (nedum materiam excludo) motus vitales, ordines, successus & fines in secretionibus & excretionibus indifferens remediorum usus obtruditur; qvando in subjecto aliqvo humoribus, dilutis, tenuioribus, fluidis prædito secretionum & excretionum specimina diversimode turbantur, modo expelluntur, modo repelluntur, & vice versa, modo urgentur & concitantur, modo leniuntur, injusta methodi, ordinis, temporis & successus discretione, ut perite illud Hippocratis & aliorum monitum egregie practicum conferatur, *qvod natura eo ducenda sit, qvo vergat*; non impellenda, non turbanda, sed modeste ducenda & promovenda, & si ad aliena loca, talis excretionis speciei minus convenientia, vergat, non vi, impetu, violentia, audacia, aggredienda; irritanda, turbanda, provocanda, neqve alibi impellenda: hæc docet Hippocrates, hæc docet iterato, hæc docent periti practici. Sapienti sat! Et hi sunt illi concursus errorum in experientia medica,

 Epi-

EPILOGUS.

DIjudica B. L. an promiſſis meis ſatis fecerim & præter reſponſionem juſtam, ſimul utilitatem Medicam reſpexerim: æqvis & juſtis viris talia ſcripſi conſideranda, illis vero minime, qvi odia effundunt, & præjudicia pariunt: non ſunt abſolute controverſa, ſed etiam dogmatica, qvæ in hac tractatione publicavi, ut uſus ejusdem etiam publicus ſit: ſcurriles & ludicras argumentationes & objurgationes evitavi, ad adverſarii vero temerariam aggreſſionem & præcipitantiam, qvantum fieri potuit, concinna brevitate reſponſum exhibui: Judica itaqve ſecundum æqvitatem, veritatem & juſtitiam, qvas Deus amat virtutes. Ego in illud perpetuo annitar, ut veritati firmiter inhæream; & qvæ præterea publice communicare potero, timorem Dei, ſcientiam & veritatem pro fundamento habebunt. Junior ſum! interim ſub divino auxilio, qvod perpetim, humillime exoro, tantum, ut in ſcientia, ita etiam experientia medica addiſcere potero, qvantum in Dei gloriam & honorem redundare, & proximi ſaluti inſervire debet: abſit vero à me qvam longiſſime, ut illos invidia proſeqvi debeam, qvi alia docent, ſcribunt, credunt: modo vera, firma, ſolida & certa ſint illa, qvæ docentur, ſcribuntur, creduntur. Interea æqvitas poſtulavit, ſcriptorum & dogmatum meorum ſinceritatem conſervare & continuare & tam audaces aggreſſiones declinare, ut conſtet, qvam malè, qvam audacter, qvam impie, qvam petulanter & frigide me adverſarius offenderit, ſinè ratione, ſine cauſa & neceſſitate, & qvam malitioſe ille invidiam, raptum, & altercandi libidinem ſuſceperit & exercuerit, hinc ut ad meliorem & ſaniorem mentem


redeat aut deveniat, eſt qvod adhuc opto & voveo. Ad ſtupidas vero, aniles, ambitioſas, protervas, frivolas, injurioſas, pueriles & malitioſas objectiones, ſicuti hactenus perperam ab adverſario deblateratæ & publicatæ fuerunt, reſpondere, neqve ratio ſana dictitat, neqve temporis ratio permittit, neqve ullus honeſtus & candidus vir dignum reputabit; interim patronus injuriarum & mendaciorum nunqvam acqvieſcit, ſed in malitia & mala conſcientia ambulantes, perpetuo ad mala opera & proximi offenſionem invitat, ſtimulat & dirigit; Calumnias vero nunqvam expaveſco, Deus vindicabit veritatem, & qvi honeſtatis, dexteritatis, veritatis, & probitatis hoſtis & inimicus eſt, ululet, mordeat, furat, ſtrideat, & centurias iniqvitatum effundat, perinde mihi eſt, Deus victorent: reliqvas vero prudentes & ſolidas explicationes, deciſiones & illuſtrationes, modo ſine invidia & bile offerantur, nunqvam detrecto.

TANTUM



Errata Typographica.

Pag. 4. lin. 18. leg. neceſſario. p. 5. lin. 12. leg. ſuggillationibus. p. 8. lin. 2. 3. leg. eruditionis. ib. l. 5. leg. auſibus pro usibus. ib. l. 31. leg. honeſtatis. p. 9. l. 13. l. cultorẽ. p. 10. lin. 4. l. fuerit. ib. l. 15. l. alliciebãt. p. 12. l. 16. l. & qvi, pro, æqvi. p. 13. l. 27. l. adverſarii. p. 14. l. 13. l. notitia praxeos medicæ. ib. l. ult. l. ruſticam. p. 15. l. l. 1 die, pro dies. ib. l. 18. l. tectus, pro lectus, p. 15. l. i. l. ab adverſario. ib. l. 10. l. practici. p. 16. l. 28. l. factam. ib. l. ult. l. mea, pro me. p. 18 lin. 6. l. effectu. p. 19. l. 16. l. haud, pro hanc. p. 20. l. 9. l. *Pædantiſmo.* p. 21. l. i. l. phantaſmatibus. ib. l. 4. l. committere. p. 22. l. 9. 10. leg. rationi. p. 23. l. 29. 30. l. encomiorum. p. 24. lin. 13. l. attendenda. ib. l. 14. l. antiqvitas. p. 25. l. 9. l. meliorare. ib. l. 15. l. ſolida ratione non nunqvam deſtitutæ. ib. l. 27. l. nõ turgere aſſerit. p. 26. l. 5. leg. ſub, pro ſua. ib. l. ii. l. huc pertinent etiam temerariæ &c: ib. l. 23. l. ſub pro ſui. p. 29. l. 5. l. certus, pro cetus. p. 34. l. 14. leg. qvi, pro qvia. ib. l. 15. l. ἀισθήσεως, pro ἀιθήσεως. p. 37. l. ii. l. malam.



Addenda Errata.

Pag. 5. l. 15. l. fuerit. p. 11. l. 17. l. σκιαμαχεῖν. p. 18. l. 22. l. tantæ, pro tanto. p. 20. l. 6. l. anibus. p. 27. l. 24. l. πολλῆς pro πολύς. p. 41. l. 7. l. exacerbetur. p. 44. l. 16. l. φύσιν p. 45. l. ult. l. in infinitum. p. 53. l. 30. l. ἀγνοεῖν. p. 54. l. 10. l. equidem quæ ab. p. 56. l. 28. l. φαρμακεύησι. p. 59. l. 3. l. absurdum. p. 60. l. 24. l. credet, pro tredet. p. 67. l. 8. l. effectum. ib. l. ult. l. quasi dicata. p. 70. l. 12. l. animi. ib. l. 13. l. anima. p. 72. l. 8. l. quo nobilior, adde & exquisitior. ib. l. 14. l. unde, pro & ut. ib. l. 16. l. attribuuntur. ib. l. 23. l. infida. p. 75. l. 19. l. illa. p. 77. l. 28. l. stupidus. p. 80. l. 1. l. σιδηροξύλε. ib. l. 9. 10. l. Moebium. p. 81. l. 29. l. inquiunt, pro inquirunt. p. 82. l. 2. l. quam, pro quæ. ib. l. 5. 6. l. frigidumve. ib. l. 11. l. calidum, adde, frigidumve dicitur. ib. l. 19. l. unde frigidum, pro, & frigidum. ib. l. 30. l. quatenus, pro, quantus. p. 83. l. 7. l. temperatura, pro, temperamenta. p. 84. l. 27. l. subjectis, pro effectibus p. 85. l. 2. l. ut, pro, quod. ib. l. 4. l. poterit, pro, potuerat. ib. l. 6. l. moderatioris. ib. l. 29. l. soleant. p. 86. l. 4. l. quæ, pro, quam. p. 90. l. 29. l. quam, pro, quæ. p. 91. l. ult. quando, pro quod. p. 94. l. 6. l. &c. adde, Die Hussen-Tröpffgen ja nicht zu vergessen. p. 95. l. 25. l. ut non ratione Opii, sed doseos. p. 99. l. 14. l. victor erit, pro victorent.

NB. Hosce & alios leviores errores typographicos, qui passim irrepserunt, ante lectionem hujus Scripti, ne confusio oriatur, D. L. benevole emendabit.